IOHANNIS
PRÆVOTII.

MEDICINA PAUPERUM,
Sivè
DE REMEDIIS
Facilè Parabilibus.
Tractatus.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf
urn:nbn:de:hbz:061:2-169830-p0577-4
DFG

DE MEDICINA PAVPERVM

Sivè,

DE MEDICAMENTIS Facilè parabilibus.

QVicumq; medendi arte claruerunt, atq; ex humanæ salutis custodia magnam sibi apud omnes gratiam comparârunt; prima existimationis suæ fundamenta in pauperum tabernis iecisse videntur. Cum enim medicum duo præcipuè commendent, curandi peritia & eximia in ægros charitas sine qua vix esse potest alienæ calamitatis tanta commiseratio, quæ ad ferendum auxilium anxiè quemquam sollicitet: utrumque est eiusmodi, ut divitibus atque Principibus facilè probari non possit medicus, nisi frequenti pau-

pauperum medicatione se talem esse prius o-
stenderit. Nam quibus res illæ omnes af-
fluunt, quarum penuria vitam reddit aliis
minus caram: suspecta est medendi incipienti-
um peritia, quæ multis experimentis ac pra-
claris curationibus popularium hominum
testimonio evulgatis non innotuerit: isque
solus non agrè persuadebit divitibus, ad quos
accersitus fuerit, se morbi, & non proprii
commodi lucrique causam serio suscepisse,
qui multis egestate pressis strenuam operam
aliquando navaverit, atque illorum con-
suetudine humaniter cum agris agere didi-
cerit. Quæ causa est, cur medicam artem
addiscentibus, atque ex eius professione fa-
mam, commodaque ingentia quærentibus
illud in primis curæ esse debeat, ut benè me-
dendi præcepta acri studio cognita infimæ
sortis hominibus ægrotantibus applicare sci-
ant, indeque primas artis exercitationes feli-
citer auspicentur. Quæ in re non parum
obstat medici conatibus fortunæ tenuitas,
quæ non modo idoneæ ad tuendum ægri ro-
bur alimẽta, sed etiam accommodata ad sa-
nationem medicamenta comparari sæpè ve-

tat; adeo ut ex pharmacopolarum officinis nihil peti possit, ne levi sumptu grave pauperti vulnus infligatur, novaque miseria, ad priorem morbum fiat accessio. Providit tamen naturæ liberalitas pauperum necessitatibus, multas medicamentorum materias, quæ, & ubique locorum obviæ sunt, & levi artificio præparatæ ad omnem usum aptari possunt, in quibus non minus exercitatum debere esse medicum ac in iis, quæ divitibus conveniunt, scribit Galenus 6. de compos. medic. per loca c. 1 præsertim cum obvia illa remedia non tam utilia sint pauperculis, quam necessaria divitibus iter facientibus si fortè procul ab urbibus, & Pharmacopæorum frequentia, atque præsidio in morbum inciderint.

De his ergo remediis, quæ Latinis, facilè parabilia. Græcis εὐπόριστα dicuntur præsens erit hæc tractatio in duas divisa partes, quarum altera materiam obviorum medicamentorum omni ægritudinum generi conferentium exhibebit: Altera modum ostendet singula expeditè, absque labore, & sumptu præparandi, quando sincera usui esse non poterunt.

MA-

MATERIA
Medicamentorum facilè præparabilium.

IN recenſendis medicamentis facilè parabilibus, cõuenientiſſimus eſt ordo executionis, remediorum methodo inventorum, ut ſciat unusquisque expeditè proferre materiam, principio, aut progreſſu curationis eligendam. Cum igitur remedium à cauſa morbi indicatum, inventione quidem ultimum, ſed executione ſit primum, atque ante omnia cauſa tolli debeat, ut tandem morbus expugnari valeat. 7. meth. cap. 12. Primum ſibi locum jure meritò vendicabunt medicamenta adverſantia cauſæ morbificæ, quæ varia ſunt pro varietate cauſæ. Alia enim materiam copia peccantē minuunt, vacuantque: alia deficientem augent; alia pravam ejuſdem qua-

qualitatem corrigunt: alia intempestivum motum, inhibent: aut viciosam quietem ad naturalem motum revocant: alia denique causas toto genere præter naturam, & substantiam, ut ajunt, peccantes extirpant.

A *Vacuantibus* exordiendum, eòque magis, quòd pauperes ob victus pravitatem pluribus abundant excrementis, quam divites: ac proindè ex cacochymia frequentius morbos incurrunt, quam ex plenitudine

Vacuantia porrò alia materiam sensibiliter evocant per aluum, vomitũ, urinas, sudorem, sputum, palatum, nares: alia insensibiliter digerunt, & in halitum vertunt; quibus in curatione locus est, post sensibilem evacuationem.

VACVANTIA PER ALVVM.

HOrum alia respiciunt impuritatem primarum Viarum, neque ultra

ultra meſenterii vicinam regionem vires ſuas exſerunt, & lenientia dicuntur: Alia ſecundam, & tertiam regionem corporis expurgant, purgantiaque, & cathartica appellantur.

Alui lenitio fit aſſumptis per os, iniectis per clyſteres, & ſuppoſitis glandibus.

Quæ aſſumũtur duplicis ſunt generis; alia enim ventrem ſtrenuè laxant, indeque excrementa educunt: Alia debilius agunt, quibus præcipuè utendum eſt ad lubricam aluũ detinendam, ne excrementa naturalia primæ coctionis nimis diu detineantur.

STRENVE LAXANT IN CAVſa bilioſa.

Serum lactis depuratum bibitum à ℔ iij. ad viij. intervallo unius horæ: Fit efficacius diſſolutæ in primo cyatho ſalis communis ʒi.

Aqua

Aqua hordei non decorticati, præsertim decocta cum passulis, & prunis à ℔. ij. ad vj. pota spatio semihoræ.

Violæ purpureæ recens succus ab ʒj. ad ʒij. cum cyatho aquæ hordeaceæ, vel fontanæ.

Rosarum pallidarum succus eodem modo haustus.

Cucurbitæ sativæ succus leviter coctus cum quarta parte mellis, & pauxillo salis ab ʒiiß. ad ʒv.

Hæc omnia corrigantur macerationeabsynthii, si debilem ventriculum contingat bile repleri.

Succus cichorei depuratus ab ʒiij. ad v. & vj.

Oleum commune bene maturum cũ triplo aquæ fontanæ coctum ad humiditatis consumptionem: ab ʒiiij. ad ʒvj. per se bibitum.

Cerasi, aut *Persici* flores recentes P. j. in acetario sumpti

Rosæ Moschetæ Num. iiij. in acetario sumptæ, maximè si rore adhuc madeant.

Pru-

Pruna dulcia Num. xij. leviter cocta ex aqua mellis.

Potest ex prunis parari rob instar sapæ, exigui sumptus, & admodum gratum.

℞. *Prunor. dulcissim.* ℔i.
Siliquar. dulc. minutim incis.
℥iij.
Aq. font. vel. Vin. alb. subdulc.
℔iiij.

F. decoctio lento igne, donec materia utcunque inspissetur, tum per setaceum traiiciatur, rursusque bulliat ad consistentiam sapæ, cuius exhibeatur pro justa purgatione ℥jß. circiter, vel sola, vel cum aquæ cyatho: potest ulteriori decoctione inspissari in formam electuarii, pro illis, qui tantum bolos assumunt, sed addenda est quarta pars mellis, ut aliquamdiu servetur incorruptum & datur ab ℥j. ad ʒxij.

IN

IN CAVSA PITVITOSA.

Saccharirubri ʒi. ex jure pulli, aut aq. coriandror.

Sacchari fini ʒiß. usque ad ʒij. eodē modo propinati.

Mulsa Plena non cocta ab ʒviij. circiter ad ℔ i. Corrigenda est eius flatulentia sem. fenicul. Anis. aut Coriand.

Vinum dulce cum ʒ, parte mellis crudi ab ʒiiij. ad ʒviij. addiris quoq; semin. odoratis, ne ventrē distendat.

Fanugraci decoctum cum melle.

Mercurialis olerum more esa, præcipuè condita oleo, & sale.

Eius decoctum ab ʒiij. ad vj addito sale.

Hyssopi, vel pulvis à ʒii. ad iiij. cum oxymelite; vel decoctio m. i. circiter data cum oxymelite.

Tartari crudi pulvis à ʒß. ad ʒii. ex iure galli, vel mulsa, vel decocto hyssopi, aut polii.

Resina laricina illota à ʒi. ad ʒv. in bolo, vel pillulis.

In

In hunc finem parari potest oxymel laxativum efficax hunc in modum.

℞. *Mercurial. spicat. seu famina M. ij.*
Absinth. communis M. i.
Mellis ℔ i.
Aq. fontan. ℔ iii,

Bulliant lento igne ad perfectam despumationem mellis, dein adde

Hyssopi
Polii an. M. i.
Acet. opt. ℔. ß.

Iterum bulliant ad consistentiam oxymelitis, & F. Colatura, cuius dentur ʒiii. adʒvi. per se, vel cum iure.

Sunt quoque obviæ, & exigui sumptus pillulæ de aloë lota, dantur à ϑi. ad ʒii. circiter. Scribit Garzias ab orto, si folia aloës concisa coquantur cum modico salis, eorum decocto ad ʒviii. circiter alvum quater, aut quinquies innoxiè subduci.

IN CAVSA MELANCH.

TArtarum modo iam dicto usurpatum

Eius

Eius cremor à ʒj. ad ʒiij. cum jure *Extartaro*, cum momento senæ gratia stimuli fiet pulvis efficax, hac ratione.

℞. *Tartari crud. el.* ʒ. j.
Fol. senæ ℈j.
Sem. Anis. vel fœnic. aut Cinam. ℈ß.
Sachar. ff. ʒß.
M. pro j. Dosi.

Fumariæ in umbra siccatæ pulvis ad ʒiij. circiter ex mellicrato.

Eiusdem succus recens ab ʒiß. ad ʒiiij circiter, per se, vel eum sero depurato.

Eiusdem decoctio ex M. j. præsertim additis passulis.

ALVVM MOLLIENTIA.

QVibus utendum est potius ad impediendam retentionem naturalium excrementorum primæ coctionis, quam ad alias necessarias evacuationes: Quæ valentius laxantia postulant, sunt huiusmodi.

IN

IN CAVSA BILIOSA.

SEquentes herbæ oleum more coctæ, & earum decoctiones, scilicet Acetosa, Atriplex, Blitum, Lactuca, Lapathi omne genus, Malua, eiusque cauliculi, Spinacia.

Hæ herbæ magis emolliunt decoctæ cum passulis in jure pingui, vel conditæ multo oleo, & tantillo salis.

Cerasa dulcia cocta maxime cum jure, & consperſa ſaccharo.

Cerasorum ſuccus cum melle inſpiſſatus ad j. vel ij. cochlearia, vel per ſe ſumptus, vel cum iure.

Mala perſica cocta, & ſaccharo conſperſa.

Poma dulcia cocta.

Paſſulæ corynthiacæ. i. ſine acinis, vel per ſe ſumptæ, vel maceratæ in lacte, donec turgeant, vel decoctæ, aut ex iure vino albo, & ſaccharo cōſperſæ ab ʒj. ad ʒij. pro vice.

Pruna dulcia cruda, vel cocta ex vino, & ſaccharo conſperſa.

Ptiſana

Ptisana dilutior.

Panis hordeaceus.

Oleum bene maturum copiosum in ferculis.

Horum omnium, quemadmodum & sequentium præcipuus usus est in prima mensa, aut ieiuno adhuc stomacho, duabus circiter horis ante cibi sumptionem.

IN CAVSA PITVITOSA.

Asparagi maximè petræi germen coctum, conditum oleo, & sale.

Avena farina in ferculis, ac pulmentis.

Brassica sativa, magis autem crispa, leviter decocta, condita oleo, & sale,

Eiusdem benè coctæ primum iusdicta ratione conditum.

Eiusdem succus expressus ab ℥ii. ad ℥viii. ex iure bibitus.

Beta eodem modo usurpata; candida censetur efficacior nigra, & rubra.

Caven-

Cavendula folia decocta, oleoque, & sale condita.

Cicerum, atque *lentium* primum ius cum oleo, & sale.

Ius piscium salitorum.

Ficus recentes benè maturæ.

Ficus passæ num. iiii. autvi. maceratæ in lacte aut vino dulci donec turgeant.

Alii verno tempore caricas sternunt rosis pallidis recentibus, quas frequenter mutant spatio 14. dierũ, atque in *dolio* compressas recondũt ad usum: dantur duæ, aut tres in prima mensa.

Iuglandes recentes, vel siccæ præmaceratæ in aqua, donec mollescant comesæ cum sale.

Panis furfuraceus, aut similagineus, fit efficacior additis passulis, & sena.

Furfur ipsum cum iure coctum.

Siliquarum decoctum.

IN

IN CAUSA MELANCH.

Apparis fructus sale conditus, leviter coctus, comeditur in acetariis cum Oleo, & aceto.

Lepuli turiones elixi, conditi oleo, & sale; soluunt efficacius; si superbibatur eorum decoctio.

Vua dulcis recens quæcumque sed magis rore adhuc madens pensilis est inefficacior.

Vinum dulce pro potu.

Condimenta ex sapa, & defruto.

Huc referuntur etiam pruna, & passulæ, maximè in melancholia adusta.

CLYSTERES LENIENTES.

EXtemporanei, & viliſſimi clysteres intestina expurgantes parantur, ex juris carnium ℔. ß. ol. oliuar. vel sem. lini, recrementi Sacchari an: ℥iij. salis communis ℥j. M.

Vilior & magis abstergens fiet ex aquæ salitæ naturalis marinæ, aut thermalis ℔. ß. & ol. communis ℥iij.

Vel

Vel ℞. *Decoct. Mercurial. malu. betæ Furfur.* ℔. j.
Suc. brassicæ, vel mellis, vel betæ. ℥ij.
Salis communis ℥j. *M.*

Si opus sit emollitione insigni, vel augeatur quantitas olei vel oleo omisso augeatur quantitas decoctionis factæ cũ multa malua, alth. branc. Vrs. & fortiter expressæ.

Refrigerandi vim, si ea sit opus, tribuent folia violæ purpureæ parietaria & hordeum addita decoctioni.

Si languida sit expultrix, duplicetur quantitas salis.

GLANDES LENIENTES.

IRritant leniter aluum ad excretionẽ suppositoria ex ℥j. mellis, aut recrementi sacchari ad duritiem cocti addito salis tantillo, si langueat expultrix.

Pariter ex radice betæ, aut raphani in debitam formam redacta, oleoque, aut butyro illita, cum, vel sine sale.

Idem·

Idemque præstat truncus brassicæ. Ex ficu inverso oleo illita, & sale aspersa.

Ex sapone, candela, lardo, in glandis formam concinnatis, oleoque, aut butyro illitis.

PVRG. PER ALVVM.

QVæ excrementa trahunt ad vêtrem ex remotioribus partibus cathartica, & purgantia dicta, licet sinceros humores vix evocent, sed magis permixtos: sumunt tamen denominationem *ab excremento*, quod efficacius movent: Qua ratione reduci possunt ad quatuor classes, pro varietate humorum, qui purgatione educuntur: nempe ad purgantia bilem; pituitam, melancholiam, & aquositates.

Horum singula rursum partiri lubet in *Benigna*, quæ clementer absque torminibus, & à locis jecori circumjacentibus expurgant: in *Strenua*, quæ à locis remotioribus, & vena cava

cava, non sine labore vacuant: in *Valentissima*, seu furentia, quæ à remotissimis partibus trahunt, ac nisi probè corrigantur maximo cum conatu, viriumq; dispendio opus suum peragunt. Cum hac enim distinctione facile erit unicuique deligere purgantia, pro diversitate situs, loci affecti maiori, aut minori resistentia, humoris vacuandi, virtiumque fortiorum, aut debiliorum tolerantia. Ergò,

Bile Prædominante conveniunt pro benigna vacuatione dulcamaræ Lignum decoctum ab ʒj. ad ʒij. c. anis.

Frangulæ cortex flavus in umbra siccatus, & potissimum ineunte vere delibratus. Dil. & ser. D. ʒij. ad iiii. S. ℈ij. ad ℈iiij. Corrig. semen. arom. vel exter. cortex niger, ideo simul exsiccatur, decoquitur, & teritur.

Rhabarbari Monachor. bil. & pit. rad. siccatæ pulv. ʒi. ad ʒiß. ex jur. cal. cum zinz. aut Hyssopo.

Violæ Purpureæ in umbra siccatæ pulvis a ʒi. ad ʒii. cum iure cicerum, aut pisorum, modice coctorum

Convolvulus maior Matthioli D. ʒiiii. aut vi. Corrigitur stomach. adstring. maxime myrtho, rosmarino, & cypero.

STRENVE PVRGAT.

Centaurum minus bil. & pit. crass. D ad ʒii. in ʒviii. aq;, ad cons. mediet. addito aliquo dulci ad corrigend. amarorem pulv. Dat. ad ʒi. ex decoct. prun. aut pass.

Gratiola, bil. & pit. Dat. siccæ pulv. ad ʒi. ex vino, aut iure alterato stomachicis.

Recens D. a ʒi ad iii.

Peplipulvis, ad ϑiiii. ex mulsa, instillato modico aceto.

VALENTER.

Periplocæ recentis succus in umbra siccatus. Idem præstat & *Scammoneum*; corrig. coton. aut fumo sulph. a gr. v. ad xv. circiter, datur ex liquore

re convenienti; vel formatur in bolos, aut pilulas.

Ex dictis varia componi possunt, de quibus illud notandum, faciliorem reddi purgationem si purgantia misceantur cum lenientibus sui generis, quod de omnibus aliis purgantibus proportionaliter est intelligendum E. g.

Potio cholagoga ex tempore sic parabitur.

Passular. ʒß.
Prunor. dulc. par. iiii.
Gratiola vel centauri minor.
ʒii. *Sem. fenicul.* ʒß.
Aq. Horde vel Com. ʒx.

F. Decoctio lento igne ad consumptionem medietatis, & fiat colatura pro potu.

Si bolus eligatur,

℞. *Rad. Hippolapath. pul.* ʒi.
Centaur. min. ʒß.
Rob. prunor. inspissati ʒvi.
vel pulp. passul.
Zingib. gr. x. vi. M.
F. boli.

Si in stomachum ab omni medicamento abhorrentem incidas, efficies pruna solutiva vel passulas aut caricas, si in propositis decoctionibus bilem trahentibus macerentur dicti fructus, donec turgidi evadant unde pro evacuatione sufficient pruna vj. caricæ iij. aut i.ij. passular. ʒß. usque ad ʒj.

Eodem pacto præparabuntur hi fructus ad aliorum humorum expurgationes, mutata liquorum purgantium quibus *infundendi* sunt materia.

PITVITA PRÆDOMIN. benignè vacuabunt.

Agaricus infusus per noctem in vino, in quo præmaceratum sit zingiber, vel hyssopus, Thymus, aut alia similis herba calida, & actis, deinde siccatus uti vulgo fit in agarico trochiscato, purg. pit. & utramque bil. sumitur à ℈ij. ad ʒij. in pilulis, bolo, & potu ex oxymelite macerat. a. ℈iij. ad ʒiij. circiter, præsertim in mulsa.

Asari,

Asarina Matthioli. pit. crass. & mel; Radix est efficacior. S. ʒj. ad ʒij. cū oximel.

Carthami seminis pulpa à ʒij. ad v. circiter: datur emulsio ex mulsa, vino potenti, aut jure, corrigitur calefacientibus, & subastringentibus stomachum, uti spica, cypero, rosmarino &c.

Rhamni cathartici, baccarum succus, quo Bibliopolæ librorum regmina luteo colore tingunt. sumitur à ʒiij. ad vj. corrigitur odoratis herbis, seminibus, aut aromatibus.

Vlmi crassior cortex: in pulverem tritus ad ʒß. circiter: ex vino, vel mulsa, vel decoctione hyssopi.

Radix cava, sive fumariæ bulbosæ radix S. ʒj. ex liquore convenienti.

Planta maxima sem. decorticata: devorantur Num. x. ad xx. circiter, instar nucleorum pini, vel bibitur eorum cremor ex vino.

Ex Rhamno dupliciter componi-

ur syrupus gratus, & pro paupercu lis asservandus: hoc pacto.

℞. *Succ. bacc. spin. infecto. despunc.* ℔ *ii.*

Mellis despumat. ℔. *ii.* ß.

DEcoque lento igne ad syrupi crassitudinem, & rariore linteolo percolentur, postmodum adhuc calentibus immiscean tur,

Cinnam. ʒiii.

Zing. ʒiß.

Seru. ad usum.

Vel.

℞. *Dicti succi percolati, & per se decocti ad 4. partis consumptionem* ℔. *i.*

Mellis despumati ʒviii.

Coq. una ad consistentiam syrupi. Coctis verò & iam aufferendis ab igne iniicito Cinam. ʒii.

Vterque datur ab ʒi. ad ʒiß. dissolutus vino, aut iure Carnium, vel decoctione hyssopi, aut polii.

STRE-

STRENVE PVRGANT.

Esula maioris & minoris radix, quæ aliquanto est efficacior maiori: aq. & utramque bil. Vsurpatur cortex maceratus in aceto rosato, vel cydoniato, & siccatus ad usum: Si desint hæc aceta alteretur acetum vulgare aliquo stomachico frigido astringente, uti rosis, fructibus berberis, balaustio, cydoneo, capreolis vitis, flor. labruscæ, myrtho & datur in substantia a gr. vi. ad xx. Maceratur a ℈j. ad v. circiter, ex vino, vel Mulsa, &c.

Esula Venetæ radicis cortex eadem præstat, eodem modo præparatus, & exhibitus.

Genista hortensis, quam Hispanicam vocant, folio, & semina S. a ʒi. ad ʒii. Mac. aut Decoq. a ʒii. ad iiii. Corrigitur vino aromatico, vel aliis stomachicis odoratis.

Genista angulosa omnes partes eadē præstant eodem modo exhibitæ.

Hermodactylus vulgaris, seu Colchici

Dioscoridis radix, eruta, priusquam floreat, & præcipuè post exortum foliorum, non patitur infusionem, aut decoctionem. Datur pulvis à ℈ij. ad ʒij. in pill. Tabell. bolo, vel per se in potu. *Acui debet* vis illius iners aliquo acri, ut zingibere, hyssopo, thymo, Si placet etiam addere alexipharmacum corrigens ventositatem, tutior erit purgatio.

Pseudonarcissi lutei sylvestris radix pit. & aq. D. à ʒij. ad ʒß. corrigitur stomachicis odoratis.

Vvataminis seu vitis nigræ Matthioli radix siccata pit. aq. sumitur & bil. datur in decocto ʒiß. ad iij. S. ʒß. circiter ad ʒiß. corrigitur cortice, aut sem. citri, vel Arantior spica, &c.

VALENTER PVRGANT

Brionia (quæ purgat pit. aq & bil.) *asparagi* ad M. ß. olerum modo cocti, & sumpti.

Succus germinum à ʒj. ad ii. ex vino, vel jure, aut decocto hyssopi, origani, calamenti, &c.

Pla-

Placenta absinthii frixæ in oleo per destillationem facto ex bryoniæ germinibus.

Eiusdem radix decocta à ʒj. ad ʒiij. circiter; substantia à ϑi. circiter ad ʒi. ex vino, jure, aut decocti arom. stomachi cor. &c.

Colocynthidis pulpa pit. crass. & bil. Macerat. à gr. v. ad xx. Decoquitur à gr. x. circiter ad ϑj. corrigitur aliquo stomachico Emplastico, quodque sua lubricitate citiorem faciat deiectionem, uti malua, fœnugræco, & sem. citri, vel cinam. &c. Dat etiam vinum generosum (maximè Absynthite) quod per noctem in excavata colocynthide intabuerit.

Colocynthis pyriformis eadem præstat, sed aliquantò inefficacius, ac propterea in dosi ferè dupla.

Chamælæa pit. ser. & bil. folia decoq. à ʒß. ad ʒi. In substantia à gr. x. ad ϑi. corrigitur absinthio, & hordeo.

Thymelæa idē præstat eadē ratione.

Laureola mas, quæ Matthiolo Chamædaphne, & fœmina, quæ eidem Daphnoides appellatur, idem faciunt, sed inefficacius. Decoq. a ʒi. ad iii. In substantia a ℈i. aut gr. xv. ad ℈ii. corrigitur eadem ratione.

Tithymalus quicunque, excepto latifolio, pit. utrumq; & bil. Dat. lac. a gut. v. ad xii. Ramuli, & folia in substantia a ʒß. ad ℈iiii. Cortex radicis in substantia a ℈i ad ʒi. Maceratus a ℈iiii. ad ʒiii. circiter.

Ex his varia componi possunt, & vel ex tempore usurpari. vel in usum reservari. Exempli gratia. In potione.

℞. *Agarici præpar.* ℈iii
F. infusio in decoct. hysopi, ʒiii. per horas x. Facta colatura adde *oxymel.* ʒi. Misc. pro potu.

Vel, ℞. *Rad. Esulæ prep.* ʒii.
Fol. Laureol. recent. ʒi.
Fol. Myrth.
Hyssopi a. M. i.
Vini alb. ℔iß.

Mell.

Mell. despum. ℔. *i.*

Coq. lento igne ad mediocrem consistentiam, postea adde

Sem. Anis. ʒi.
Coriand. præparat. ʒß.
Cinamom. ʒi.

Bulliant iterum ad syrupi consistentiam, F. Colatura, servetur ad usum. Cuius dosis erunt ʒii. ad iiii.

IN PVLVERE.

℞. *Hermodactyl. à superior. cort. mundat.* ʒi.
Tartar. crud. vel prap. ℈i.
Zingib. gr. vi.
Sacch. ff ʒß.

Misc. F. pulvis exhibendus ex vino, aut iure.

IN BOLO.

℞. *Agar. præpar.* ℈ii.
Tartar. ʒß.
Cinam. gr. v.
Pulpæ caricar. vel passul. ab acin. purgat. ʒß.

Mis. F. Bolus.

IN

IN PILVL.

℞. *Hermodact.*

Agaric. præparat. an. ʒiß.

Zingib. gr. vi.

Trita in pul. subigantur oximelite, vel mell. & formentur pil.

Melancholia prædominante benignè vacuabunt Cuscuta &c. à ʒvi. ad ℥iß. prouna vice recipitur inter aperientia infrà ʒß. decocta, corrigitur absinthio in hunc modum.

℞. *Herb. Cuscuta.* ℥ß.

Absinthii com. Comæ ii.

vel ʒii.

Aq. Comm. ℥x.

Bulliant ad consumption. medietatis addendo sub finem.

Sem. fœnic. aut Anis. ruditer contus. ʒß.

Coletur pro uno potu.

Epithymi usus esse potest, Græciam, ubi oritur, incolentibus in substantia ad ʒß. ex sero depurato, vel lacte, aut simili refrigerante, in decoctione à ʒvi. ad ℥iß. sed moderatè

ratè coquendum est; tarda eius vis deiiciendi, corrigitur acribus, uti pipere, zingibere. Eius loco alibi iusurpetur thymus, cui facultas eadem inest, idem præparationis modus, præstat tamen eius decocto diluere alia melancholiam, purgantia, quàm eo solo uti.

Polipodii radix in substantia à ℈i. ad iiii. ex iure galli, aut cremore ptisanæ. Decoquitur autem à ℥vi. ad x. Corrigitur *discutientibus* flatus, & subadstringentibus ventriculum, uti sem. citri, arant. spica Ital. &c.

Senæ folia, & folliculi Mel. pit. & aq. substantia à ℈i. ad ℈ii. macerantur à ℈ii. ad ℥vi. corriguntur sem. odoratis, aliisque flatus discutientibus: fit *maceratione* Vinum *Senatum*, cuius datur semicyathus, vel ad iustam purgationem servata prædicta dosi, vel ad simplicem alui lenitionem, si singulæ doses non plus contineant quam ℥. i. senæ per noctem infusæ.

Strenue

Strenue purgant Consiligo Matthioli, quam Tragus Elleborum nigrum esse censet, Dodonæus Buphthalmum, easdem habet vires, sed paulo invalidiores, ac elleborus niger officinarum, eademque ratione præparatur.

Saniculæ famina Fuchsii radix, easdem habet facultates, easdemque præparationes.

Valenter purgant: Antimonium dejectorium, tale autem redditur terna calcinatione cum duplo salis nitri igne non admodum vehementi, materiamque bacillo ferreo continue agitando. Datur substantia a gr. iiij. ad xij. xiiii. & xvi. in iis, quæ difficillimè purgantur. Datur ex quocunque liquore, item cùm cochleari panatellæ, aut ptisanæ; facilius operatur additis aliquot gr. cremoris tartar.

Ellebori nigri radix præparata. Variæ autem sunt præparationes, quibus reddi potest hoc medicamentum

tum æque benignum, ac Sena. Vulgo infunditur radicis cortex aceto generoso, deindè in umbra siccatur ad usum. Datur in substantia a ℈i. ad ii. circiter in decocto ad ℥ij. circiter. Maceratur ℥ß. ad ℈iiii. Corrigitur sem. odoratis, præcipuè dauci, & nymphæę. Si placidum purgans reddere cupias, eoq; uti loco benignorum, antequam exiccetur ad usum, bulliat aliquantũ in aceto, sic enim multum virium deperdet, vel cum decoquitur, aut maceratur vulgariter præparatum, abiiciatur primum decoctum, aut infusum; & eidem radici novus liquor addatur pro secũda infusione, aut decoctione exhibenda.

Præterea *ex elleboro* duplex præparatur rude extractum, alterum altero efficacius.

Primum ℞. *Rad. Elleb. nig. vino ablut. & à terra purgat.*
℔. *j.*

Concidantur, & infundantur per horas xxiiii. *in*

In Vini *alb.* ℔. iiij. addendo *Fl. Nymph. M. i. Sem. Dauc.* ʒij. *vel rad. dauci* ʒß.

F. circa finem levis ebullitio, ut radices molleſcant, atq; turgeſcant tum prælo exprimantur, ſuccus percoletur, & depuretur, lenſimque inſpiſſetur lento calore, cumq; mellis craſſitudinem acquiſierit, adde Maſtiches 4. partem. Datur à ʒß, ad ʒi. in pil aut bolo.

Secundum ℞ *Rad. ellеb. ſiu. recent. ſive ſiccat. q. v.*

Coque in Octupło aquæ, donec remaneat tertia pars, tum Radices fortiſſimè exprime, expreſſionem, & decoct. per duplicatum colum traiectum ſimul inſpiſſa ad conſiſtentiam mellis, addendo maſtiches octavam partem, ſucco jam craſſefacto. Datur à gr. xvi. circiter ad ʒß. in pilulis, aut bolo.

Fitetiam ex Elleboro pomum ſolutivum, ſi radiculæ exiccatæ, & præparatæ pomo infigantur, pomumque coctum

coctum exhibeatur extractis radiculis; vel, ſiſpatio dici naturalis ſinantur radices pomo infixæ, tumque abiectis radicibus pomum cruduin edatur.

Denique ſit ex Elleboro oxymel, aut quicunque ſyrupus ſolutivus, ſi radices una coquantur, maximam enim decoctionem ſuſtinent; Ineſt autem vis cathartica æqualiter ferè elleboro nigro officinarum, quem Matthiolus *ellebor. nigrum flore purpureo* vocat, & elleboro nigro herbaceum florem gerenti, qui Matthiolo eſt pſeudoellebor. niger. Verum prior cum minori moleſtia purgat, quam poſterior, qui propterea maiori indiget præparatione, & minori doſi.

Ex dictis componi poterit ſyrupus utiliſſimus, & gratiſſimus pro pauperculis aſſervandus hac ratione.

℞. *Rad. elleb. nig. prapar.* ℥iij.
Borrag.
Lupulor.
Fumar. *Cuſ-*

Cuscut. an. M. i.
Malum citrium semi lib.
ponderãs, in frustula dissectũ
Aq. com. ℔. *v.*

Bulliant lento igne ad consumpt. ℔. iii. deinde abiectis herbis adde.

Suc. pomor. dulc. ℔ß.

Bulliant iterum ad consumptionem mmedietatis, facta omnium forti expressione, colatura, & clarificatione, adde

℞. *Mellis despumat.* ℔. *i.*

Bulliant ad syrupi consistentiam. Cuius dosis erit ʒi. ad ʒii.

Ex tempore verò talia Propotu. E. G. componentur.

℞. *Fol. sennæ* ʒiii.
Sem. fœnic. vel anis. ʒi.

F. Infusio per horas xii. in ʒiiii. decoctionis Lupui. aut passular. & facta unica ebullitione, & colat. adde oxymel. simpl. (nempe ad viarũ apertionem, & crassorum humor. detersionem.) ʒi. Misc. F. potus.

IN

IN BOLO

℞. Folior. sen. pulveris. ʒi.
Tartari
Sem. Anisi vel Cin. an ℈i.
Pulpa passul. ʒi.
Misc. F. Bolus.

IN PILVLIS.

℞. Fol. sena ℈ii.
Rad. Elleb. nig. ℈ß.
Sem. Dauci.
Cinam. an. gr. vi.

Pulverisata subigantur cum oxymelite, & F. Pipulæ.

PVLVIS.

℞. Antimon. deiectorii gr. viii.
Cremor. tart. ℈i.
Cinam. &
Sacch. an. ℈ß.
Misc. F. pulvis.
Vel, ℞. Fol. Sena. ʒi.
Tartar.
Sacch. ff.
Cinam. an. ℈i. Misc. F. pulvis pro una vice.

Serositate prædominante benignè purgabunt. Cam-

Carlinæ radix, vel in pulverem trita ad ʒi. ex vino absynthite, aut oxymelite, vel decocta à ʒij. ad ʒß. corrigitur sem. odoratis.

Herbæ mirabilis Hispanorum variegatum florem gerentis radix ad ʒij. quomodoliber sumpta.

Mercurialis Sylvestris, vel decocta ad M. iß. vel olerum more cocta, oleoque, & sale condita.

Iridis domesticæ purpureum florem gerentis radicis succus recens extractus, & depuratus ab ʒii. ad ʒiiij. Condensatus à ʒij. ad ℥ß. potissimũ ex vino absinthite.

Strenue vacuant Anthoræ radix derasa à ℈j. ad ℈ij. ex jusculo, aut, vino sumpta, non eget corrigente.

Cucumeris asinini radix siccata, in substantia à gr. xv. circiter ad ʒß. maceratur a ℈ii. circiter ad ℈iiij. Decoquitur a ʒij. ad ℥ß. corrigitur stomachicis, sed utilissimè omnium exhibetur infusa per noctem in vino generoso absinthite.

Ebuli

Ebuli quatuor germina, quatuor foliolis constantia, in vino, aut iure cocta, olerumque modo sumpta.

Eiusdem radix macerata in vino à ʒii. ad iij

Eiusdem succus, fol. aut fructuum ad ℥i. ex vino potenti, vel iure correcto absynthio.

Eiusdem sem. pulvis a ʒß. circiter ad ʒi. ex eodem liquore.

Succus cum melle inspissatus ad consistentiam lapæ ab ℥ß. ad ʒi. per se, vel ex vino, aut iure.

Sambucus idem præstat, iisdem modis præparatus; nisi quod radicis corticimaior ineſt vis purgandi, quã aliis partibus.

Lactucæ sylvestris succus a ʒiij. circiter ad vj, cũ melle, aut oxymelite.

Ricini vulgaris semen decorticatum: datur emulsio a ʒi. ad ʒiij. cum vino, aut iure pingui correcto aliquo aromatico: maceratum leviter contusum a ʒiij. ad vj.

Soldanellæ, seu brassica marina

in

in decoctione ex iure pingui a M. i. ad ii. eduntur quoque cymæ, ut ait Plinius. i. teneriora germina olerum more cocta, corrigantur stomachicis,

Ex hac planta fieri potest rude extractum ad usum asservandum, & gratum; si foliorum succus exprimatur; depuretur; condensetur cum macis, & mastichis quarta parte in pillularum massam formetur; vel si inspissetur cum quarta parte mellis, & octava parte succi absinthii. Cuius, dosis erit ʒi. ad ʒii. circiter.

Vitis albæ (quæ Matthiolo est tertia clematis) radix decocta ad ℥ß. circiter in vino pari aqua diluto, corrigitur stomachicis temperatis uti fem. coriandror.

Valenter purgant: Ricinus Americanus gr. ß. ad integrum granum, seu semen; maceratur per noctem in vino, vel bibitur sem. emulsio ex jure

Granum Dendæ Avicennæ, quod circumforanei passim venduntpro

Rici-

Ricini Americani semine, eadem præstat, ac Ricinus Americanus.

Cataputia semina si maiora sint, a gr. vi. ad x. Si minora, ab viij. ad xv. vel redacta in pil. aut bolos, cum caricis, vel emulsa ex hydromelite. Ventriculo valde sunt infesta, ideo superbibendum ius alteratum absynthio, & sem. citri, vel Arantiorũ.

Tythimalus Platyphyllos, secundum omnes sui partes exhibitus modo & quantitate dicta de aliis Tythimalis valenter expurgantibus pituitam.

Ex dictis potest præparari jucundus, ac vilis syrupus ad usum reservandus.

℞. *Rad. irid. domest: recent.* ℥iiii.
Cucum. asin. in umbra siccat. ℥ij.
Absinth. pontic.
Origan. an. M. i
Vini alb. ℔ij. ß.

F. Maceratio per horas v. bulliant lentissimo igne ad consumpt. tertiæ partis. F. Colatura: adde.

Med.

Mellis despumati ℔i.

Bullia t ad consistentiam dilutioris syrupi, addendo sub finem.

Cinam. vel Anis. ʒii.

Huius dosis erit ʒi. ad ʒii. ad summum.

Extemporaneæ Compositiones fieri poterunt hac ratione:

V. G. pro potu.

℞. *Rad. cucum. asini crasso modo tritæ* ʒi.

Comar. Absynth. pontic. Num i.

Sem fœnic. vel Anis. aut cinam. ℈i.

Vini generos. ʒiii.

F. infusio per noctem, F. colatura, adde *Oxymel* ʒi. Misc. pro potu (potest etiam omitti oxymel.)

Pro bolo.

℞. *Succi Irid condens.* ʒiii.

Absynth pulveris. ʒß.

Sem. Anis ℈ß.

Pulpæ Caricar. ʒß. Misc. F. boli.

Pro pilulis.

℞. *Sem.*

℞ Sem. Ebuli. ℈ij. vel
Rad. Cucum. asinin. ℈i.
Cinamo. ℈ß.

Trita subigantur cum succo Absynth. F. pilulæ.

PULVIS GRATUS.

℞ Rad. cucum. asin. ℈i.
Crem. Tart.
Cinnam. an. ℈ß.
Sacc. fin. ℥ß. M.

Fiat pul. exhib. cum jure, aut vino odorato. Atq; hæc sunt purg. tantum per alvum, assumpta per os.

CLYSTERES PURG.

QUæ injiciuntur per clysteres purgantia duplici fine usurpãtur, nempe, vel irritandi expultricẽ valdè sopitam, ut fit in affectib' soporosis, paralysi, & delirijs, undè clysteres acres appellantur, vel trahendi excrementa à longinquis partib. vacuationis, aut etiam revulsionis gratia. Ut irritent, parantur modo, & quantitate jam dictis in clysterib.

lenientib. addendo tantũ decoctioni pro clystere communi herbas aliquas purgantes, nempe centaurum minus, graciolam; in causa biliosa; semina Cartha. geniſtæ folia, pulpã colocynthidis rariori linteolo illigatã, rad. Esulæ aut cyclam. in causa pituitosa; Rad. elleb. nigr. in causa melancholica; Folia Ebuli, & sambuci in causa seroſa. Verum ut purgent, & suppleant vi. êmedicamenti per os assumpti; non debent injici ultra Mensurã ℥viij. ea nimirũ quantitate, quæ etiã per os assumi posset, & præcedere debet clyster intestina expurgans, quia sic retinctu plurib. horis clyster purgans commodèq; actuatur à calore intestinorũ, quantitas tamen purgantium per os assumendorũ duplicari debet in parandis clysteribꝰ, quia non ita probè actuantur in intestinis, ac in ventriculo v. g. ad purgandã, & revellendã pituitam, fiet clyster hujusmodi.

℞ Fol.

℞ Fol. malu.
Betæ
Origan.
Chamomeli an. M. ß.
Pulp Colocynth. in pet. ligat. ʒß.
Sem. Carthami ʒij.
Aq. communis ℔. i.
F. decoctio ad consumpt. medietat. Colaturæ adde
Recrem. Sacchar. vel
Mellis ʒij. aut ij. Misc. pro clystere.

GLANDES ACRES.

PUrgantia suppositа nullam videtur habere per se vim purgandi, h. e. facultate tractoria humores è longinquis partib. ad intestina ducendi; sed tantum irritandi pigram alvum ad excretionem, quo irritamēto aliquando per accidens idem evenit, quod in purgantibus excrementa sc. è venis, & distantib. membris per alvum exturbari, verùm nō pharmaci trahentis, sed irritatæ ex-

pultricis robore; Quam ob causam glandes acrioresinterdum supplent vicem medicamenti purgantis, & debilibus quibuscunque tutius administrantur, quàm clysteres.

Fiunt a. glandes acriores ex melle, aut recremento sacchari ad duritiem cocto, addendo pro singulis unciis suppositoriis gr. v. usq; ad x. vel colocynthid. scamm. veleller. bor. utriusque, lactis tithymal. Esulæ, & salis nitri.

VACUANTIA PER VOmitum.

HOrum quoq; duplex est genus, alia ventriculũ tantũ purgant, omnis trahendi virtutis expertia, & ad lenientiũ medicamentorũ ordinẽ pertinent: alia superfluitates aliunde ad ventriculũ tractas evacuãt, suntq; cathartica; illa per se vomitum vix provocant, nisi ventriculũ offendant valdè nauseabundum, sed externo indigent irritamento, gutturis

turis nimirum irritatione, immisso digito, aut penna, hæc per se excitat vomitum absq; externo auxilio.

LENIENTIA PER Vomitum.

In causa calida aq. tepida, aq. hord. jus pingue, hydrelæum, dantur omnia tepida à ℔.i. ad ij. adultis, pueris ab ʒ viij. ad ℔.j.

In causa frigida tenui. decoctum sem. citrii, vel arantior. ex jure ad ℔. j. cum oxymel. ʒ.ij.

Lauri foliorum decoctum tepidum ad ℔.j.

Narcissi radix cocta esa, vel ejus decoctum dicta quantitate bibitum.

Pulvis rad. beton. à ʒj. ad iij. cum jure, & oxymel.

Pulvis rad. peponis à ℈j. ad ʒj. ex eodem liquore.

Decoctum testudinum veprium ex aqua, vel jure.

In causa frigida crassa. Raphani succus ab ʒj. ad ij. cum jure, & oxymel.

Nitrum à ℈j. ad ℥j. cum mulsa, aut jure.

Jus cum oxymel. simp. aut mel. cui admixtus sit ℈j. zingib. vel hysopi, vel piperis.

VOMITORIA PURGANTIA.

QUę per vomitum purgant omnia quoq; alvum movẽt, ideòq; tunc eligenda in purgationib⁹ moliendis, quando natura magis inclinat ad superna. Triplex a. statui potest illorum ordo, uti & per alvum *purgantium. Alia sunt benigna*, quę à partib. ventriculo circumjacentibus trahunt, minimaq; molestia vẽtriculum subvertunt. Alia strenua, quæ à longinquiorib. partib. efficacius trahunt, cum aliquo ventriculi labore. Alia valentia quæ fortissimè trahunt, & materiam valdè crassam, aut in remotissimis partib. contentam, magnoq; cum conatu ventriculi vomitum cient. Benigna erunt.

Bile prædominante. Frangulæ cortex

tex flavus recens, decoctus à ʒij. ad iiij.

Nasturtii hortensis semen in pulverem tritum à ʒ. iij. ad vj. bibitum ex aqua.

Strenua. Atriplicis semen ſ. à ʒj. ad ʒij. ex jure pingui alterato coma absynthii.

Chamæcerasus montana. Gesneri, quam Tragus halimum facit à v. ad viij. circiter cerasa devorata.

Asari radix, æqualiter fere trahit bilem, & pituitam, maceratur à ʒij. ad v. in substantia à ʒj. ad ʒij.

Valentia: Mandragoræ radicis succus à ℈ß. ad ℈j. ex vino multo.

Pituita prædominante benignè vacuant: Agaricus non præparatus à ℈j. ad ʒij. ex jure, & oxymel.

Coluteæ Vesicariæ semen substantia ʒ. j. ad ij. Maceratur à ʒij. ad ʒß. corrigitur vino aromatico.

Coluteæ scorpioidis semen idem præstat.

Geniſta hortenſis flores, & ramuli virentes mac. aut decoct. à ℥ij. ad ℥ß.

Spergulæ ſemen. ſ. à ℥j. ad ij. ex ox.

Strenue: Staphidis agriæ ſemen ad ℥iß. circiter tritum ex copioſa mulſa, ſuperbibendum eſt jus pingue, donec vomitus ſequatur, ne ex nimia medicamenti mora ventriculus inflammetur.

Tithymali cujuscunque recentia folia cocta cum mulſa à ℥iß. ad ℥ß.

Tabaci folior. ſuccus à ℥i. ad, ij. cum jure alterato ſem. citri, vel arantiorum.

Vitriolum album à ℥ß. ad ℥j. ex jure.

Valenter, Anagyris ſemen à ℥.ß. ad ℥j. ejusdem cortex ſiccatus, & in pulverem tritus idem præſtat, ſed paulò inefficaciùs.

Quæ ex his componuntur ejuſdē ferè ſunt formulæ, verbi gratia.

Probilis vomitione.

℞. *Aquæ hordei* ℔. j.

Ol. benè matur. ℥ij.

Rad.

Rad. Asari pulveris. ℥i. Mis.
Pro pituitæ vomitione.
℞. *Iuris alterati sem.* Arant. ℔.j.
Oximel. ℥ij.
Suc. Raphan. ℥i.
Agar. crud. ℈ij. Misc.

Si placet syrupum vomitivum componere ad us⁹: talis esse poterit.

℞. *Ramulorum virid. Genistæ* hortens. ℥iß.
Fol. Lauri.
Tabaci. an. M.j.
Sem. citri, vel arantior. crass. mod. contus. ℥ij.
Aq. commun. ℔.ij.

Bulliant ad consumptionem medietatis. F. Colatura. infunde per horas xij.

Rad. Asari.
Agaric. crud. ana. ℥iij.

F. rursus colatura, & clarificat. adde⁾
Mellis despum. ℔.j.
Coque lento igne ad consisten-

tiam syrupi, cujus dosis sit ℥ß. ad ℥i. ex jure, aut aqua tepida.

Hujus generis erit hoc Electuarium ad annum efficax.

℞. *Rad. Asari.*
Agaric. crūd. an. ℥ß.
Rad. beton.
Pepon. an. ℥ij.
Cinamo. ℥i.
Sem. Anis. ℥ß.

Trita in subtilissimum pulverem excipiantur

Mellis despum. ℥iij. & F. Electuar.

Cujus dosis erit ℥ß. ad ℥ij. circiter ex jure, vino, aut aqua.

Melancolia, & atra bile prædominante: Strenua tantum, & valentia conveniunt, quia humor suapte natura gravissimus paulò ægrius ad superna trahitur, q. á. a. l. i. humores.

Strenue a. vacuat: Antimonium præparatum. Facillimè præparantur flores, calx, & vetrum, paulò difficilius tinctura, & oleum, quod in frigidam

gidam præcipitatum abit in candidum pulverem floris nō absimilem. Dantur in substantia à gr. iij. ad vj. ex panatella, ptisana, conserva stomachica, cochleari vini & Cor. vino Arom. absinth. rorem marino, aliisq; stomachicis subadstringentib. Macerantur à gr. iiij. aut v. ad x. potissimum in vino generoso, aut absynthite. Ex hoc fit præstantissimus syrupus omnium antimoniatorum medicamentorum placidissimè vacuans per superna, & inferna.

℞. *Flor. aut vitri Antim.* ℥ß.
Vini albi generos. ℔ i.

F. infusio per dies duos naturales, facta colatura adde

Mellis despumat. ℥x.

Coquantur ad syrupi consistentiam: cujus dosis erit ℥ß. ad ℥ß. circiter per se, vel ex quocunq; liquore graviori.

Valenter purgat: Ellebori albi radix præparata, id est emedullata, atque

que per diem in aceto rosato macerata, rursusque in umbra siccata ad usus. loco aceti rosati, substituatur acetum cydoniatum, quod melius est, vel aliud alteratum aliquo stomachico frigido, & astringente, datur à ℈ß. ad ℈i. non in substantia, sed in infusione, quæ fit dupliciter. Prima est veterum, qui radiculas ellebori raphano infixas per noctem servabant, postridie raphanum exprimebant, succiq; ℥i. porrigebant cum *ptisana*, cujus loco sumi potest panatella, liquidior ad humectationem oris ventriculi, nè convellatur.

Secunda priori melior, & gratior est; ut ℈ß. rad. infigantur frustulo mali cydonii, & in codè coquantur, postmodum extractis radicibus datur comedendus ille bolus, vel expressus ex eo succus diluatur vino, aut jure pingui alterato sem. citri, deturque hauriendus: Redditur elle-

elleborus albus lōgè mitior, si radix emedullata, post debitā infusionē, sinatur aliquandiu bullire in aceto, deinde exsiccata servetur ad usus.

Serositate prædominante benigna censebuntur: succus rad. ebuli à ʒiß. ad iij. cum jure pingui alterato coma absynthii.

Succus corticis rad. sambuci idem præstat eadem dosi.

Sambuci aquaticæ baccæ sum. ad ʒij. sup bibēdū jus pingue modò dictū.

Strenua: Cataputiæ folia sursum evulsa dantur à ʒi. ad ʒiß. ex eodem jure.

Valentia: Elaterium ob insuavitatem in pilulis, vel bolo sumptum. Vulgò miscetur pilulis aromaticis. Misceri potest pulpæ caricæ cum portione absynthii, quod fit per expressionem. *Fructus cucum. Asinini*, datur à gr. iij. ad x., quod extillat ex fructu tantummodo puncto à gr. ij. ad vj.

VACANTIA PER Urinas.

VAcuatio per urinas, quân̄ ſolum vię renum, & veſicę, ſed etiam totum corpus venarum, & arteriarū̄ beneficio expurgatur, fit medicamētis diureticis, quorū̄ aliqua propriè ſunt talia calida, & ſicca, aeriaque, & tenuium partiū̄ alia impropriè ſunt talia, remiſſum habētia calorem, aut etiam ad frigidum vergētia, partium tamen tenuium, quibus utendū̄ eſt magis in febrib., renibusq; calidioribus, niſi fortaſſe præſentia corruptæ, & venenatæ materiæ in venis citiſſimam urgeat vacuationem, quæ melius, citiusq; perficitur diureticis propriis, & calidioribus: præcipua, magisq; obvia in utroq; genere ſunt iſta;

Propriè diuretica: Aſparagus uterque, præcipuè radix, Apij ſeu Selini vulgaris, radix & ſemen, Cardui, cucumerumq; radix, & ſem. Cumini

ſem.,

sem., Eryngii cujuscūq; radix, Fœniculi radix, & semē. Irionis utriusque sem., Laurifolia, baccæ, rad. cortex, Menta sylvestris, Napi sem., Ononidis aculeatæ radix, Pulegiū, Petroselini cōmunis omnes partes, Raphani utriusque cortex, Rubiæ radix, Ruscituriones, & radices, Satureia, Serpillum. Semina dantur in pulverem trita à ʒß. ad ʒi (idem intelligit de impropriè diureticis.) alia v. decoquuntur ex aqua, vino, & omnium commodissimè ex jure Cicerum, datur tamen etiam radicum pulvis, præcipuè lignosarum, ut Ononidis. Ex his aliqua extempore componi possunt.

Efficacissimus est hic pulvis.

℞. *Rad. Ononid.* ʒij.
Sem. Irion.
Bac. Laur. an. ʒi.
Cinamom. ʒß.

Misc. Fiat pulvis; datur ad ʒi. ex vino, aut jure cicerū calido: vel si in-

fun-

fundatur per noctē, tum facta unica ebullitione, colatura sumatur, abjecta pulveris fæce; reddetur medicamentū adhuc efficacius additis aliquot guttulis liquoris, quē præbet sal in excavato raphano detentus in loco humido, donec solvatur.

Pro illitione pubis tale oleum parato. ℞. *Fol. Lauri.*
Mentastri.
Serpil.
Puleg. an. M. i.
Chamomill. M. iß.
Cort. Rad. Raphan. ℥ß.
Sem. Cumini. ℥ij.
Ol. communis ℔. i. ß.
Vini alb. ℔. i.

Facta per 4. horas maceratione coquantur ad humiditatis consumptionē, & F. expressio cum colatura.

Fit quoq; Emplastrū ex dissecto raphano decocto cum foliis petroselini, apii, & pulegii, deinde simul contuso, & admoto pubi.

Im-

Impropriè diuretica: Sem.cucurb. cucum.citrul.melon. (inde fiunt emulsiones.) Malvæ, Milii solis, Fructus Alkekengi, Nuclei cerasorum, osficula Mespilor. Avellanar. lõgiorum cortex, Limonum maturorum aciditas, Folia, & caulis fragariæ, capil. ♀., parietar. tribuli, radices grã. maximè arundinei, liquiritię, quinquefolii, raphani, datur utiliter jus cicerũ rubeor. cum ¼. *succi limonis*. Habetur pro secreto hic potus.

℞. *Succi parietar.* ℥iij.
Iuris cicer. ℥iiij. Misc. pro potu.

Ejus generis censetur & iste.

℞. *Rad. liquirit.* ℥ß.
Aquæ communis ℔.ß.

Bulliant lento igne ad cõsumptionem medietatis. Colaturæ adde:

Succi Limonum. ℥i. Misc.

Dantur quoq; utiliter, succi raphani ℥ij. ex vino generoso calido.

Extrinsecus admovetur vulgare, & optimũ Emplastrũ ex fol. parietar. solis,

solis, vel cum raphano trito, frixis in sartagine cũ butyro, aut oleo, & calidum pubi admotum. Si anethinum ol. aut chamomæli præsto sit, præferendum communi.

VACUANTIA per sudorem.

ET hæc duplicis sunt generis: Alia propriè sudorifica, quæ materiam fundunt, in què halitum vertũt: alia impropriè talia, quæ materiam facilè convertibilem in halitũ præbendo, *per accidens* provocant sudorem, valdè cõsentanea variolis incipiẽt. b° calidiori busq; affectionibus cutaneis, & febribus putridis inclinante naturæ motu ad cutem.

Propriè sudorifica: Decoctum alli, ligni buxi (quo lues gallica curatur nõ secus, ac Guajaco) Chamędrios, Chelidonii majoris, Card. ben. lign. Junip. laurin. & Myrrhidis. dãtur ab ℥iiij. ad viij. circiter, fiunt q; efficaciora decocta ex mulsa, & vino alio.

Ea-

Eadem decocta depurata, & lento calore inspissata præbent rudia extracta. danda ad ʒi. circiter, vel diluta vino generoso, aut decocto impropriè sudorificorum calidiorum, vel formata in bolum, aut pilulas quibus ʒij. circiter decocti superbibant. G.E.

In affectibus articulorum & nervorũ à frigido catarrho tale fiat decoctum.

℞. *Ligni Laurin.*
Buxi. an. ʒij.

Concidantur minutim, & infundantur per diem in Aq. communis ℔.v. deinde adde

Fol. Betonic.
Chamædr.
Iuæ an. M.j.

Bulliant. lento igne ad consumptio. tertiæ partis, & F. colatura pro ʒ. vicibus.

Impropriè sudorifica: Decoctum chamæmeli, cærefol., fumar., hor. non decorticat. milii, lentium leviter

ter coctar. rad. lupulor. quinq; folii, tormentil. fol. pimpinel. vulgar. scabiosæ, & violæ matronalis.

Huc pertinet syrupus Sancti Ambrosii vocatus, ex una parte vini, & duabus, decocti milii.

Horum omnium decocta dari debent majori quantitate ab ℥viij. circiter ad ℔.i. E. G. in affectu cutaneo tale fit decoctum.

℞. *Fol. Scabios.*
Fumar. siccæ. an. M.i.
Rad. Lupulor. ℥ß.
Aq. hordei ℔.i.ß.

Coq; lento igne ad consumptionem fere dimidii, & F. Colatura pro potu uno. *Apparentibus variolis.*

℞. *Fol. pimpinel. M.i.*
Scabios. M.ß.
Prima decoct. lentium ℔.i.

Coq; ad consumptionem ℥. partis, & F. colatura pro uno haustu.

Sciendum v. est, vix provocari sudorem jam dictorũ medicamẽtorũ ope-

opera, nisi illorum vis ad cutim pertrahatur remediis trahẽtibus, quorum etiã beneficio laxãtur pori cutis, & ad sudorem præparãtur: Itaq; sesqui horæ spatio circiter à sumpto sudorifico, vel collocãdum est corpus in laconico, vel balneo calido naturali, aut artificiali, vel stragulis benè tegendum, vel admovẽdæ tegulæ calentes, aut vasa aqua calente plena, vel fricanda etiam leniter cutis, aut variis partib⁹ admovẽdæ cucurbitulæ nõ scarificatæ, pro ut necessitas magis postulare videbitur.

VACUANTIA PECTUS per Sputum.

QUæ viarum spiritaliũ infarctũ expediũt, ab officio expectorantia dicuntur, quæ omnia triplici differentia comprehendi possunt.

Alia enim cõveniunt sputo crasso, incidentia nimirũ, & detergentia. Alia sputo tenui, ac insipido siccantia nempè, & quadantenus incras-

crassantia. Alia demum sputo salso contemperantia scilicet, vel etiam erosionem impedientia.

Conveniunt ergò pro Lambitivo in sputo mediocriter crasso Aqua mulsa, Oxymel, Mel crudũ, Decoctio caricarũ, liquirit. Sal quar. passular. addita portione farfaræ, pulmon. aut Scabios. Harum etiam herbarũ pulveres misceri possunt oxymeliti ad consistentiam eclegmatis, seu mollioris electuarii, qua forma utiliter etiam *usurpabitur pulv. rad.* ireos cum oxymelite mixta.

Sputo admodum crasso conveniunt Decocta Botryos, Enulæ, Hedysari, Hyssop. Prassii, Satureię, Thymi, Aristol. long. Harum pulveres utiliter miscẽtur oxymeliti pro lambitivo, vel excipiuntur melle in forma electuarii. vel Componitur mulsa vel oxymel dictarũ herbarũ incoctione, quemadmodũ maceratione earundem prępparari quoq; solet vinũ.

Hyss-

Hyssopites, & Enulatum veteribus familiare. Vulgus utile parat Elect. ex rad. Enulæ cocta in aqua (præstat accipere mulsam aut vinum dulce) & per setaceũ transmissa, deindè excepta duplo mellis despumati, & cocta ad debitam c assitiem.

Præter hæc singulariter prosunt sulphuris pollen, vel flos mixtꝰ eclegmati, vel ex ovo sorbili sumptus. Urticæ sem. mixtũ lambitivis: Aqua vitæ cũ tertia parte sacch. fini quassata, vel mixta oxymeliti. Pulvis pulmonis vulpis à ʒß. ad ʒ. cx vino, vel mulsa potui, vel eclegmati m xtus.

Crocus à ϑß. ad ɪ. cũ vino bibitus.

Millepedes vino abluti, & ad ʒi. infusi per noctem in vino albo, deinde expressi, & hausti abjecta fęce.

Resina laricina, & abietina devorata in bolo, vel delincta, prodelinctu solvenda, est melle despumato, nam optimè miscetur melli.

Præstantissimum verò parari potest balsamum in hunc finem. ℞.

℞ *Ol. bene matur.* pro divitibus sumendum est

Oleum amygd. dulc. nõ excedentis unum, aut alterum annũ ℔.ß.

Vini albi dulcis ℥iiij.

Bulliant ad consumptionem humiditatis: deinde adde

Flor. Sulphur. ℥iij.

Agitantur continuè, & leniter ad lentissimum ignem, floribusq; jam dissolutis adde

Resin. Laricinæ, vel Abiet. aut si haberi possit,

Lachrym. Abietin. ℥ijß.

Misc. usq; ad perfectam unionẽ. Potest misceri lambitivis, & internè sumi cum dictis decoctionibus, aut vino albo.

Cæterum, ut facilius procedat sputum, neq; usu dictorũ medicamentorũ nimium exiccetur crassus humor, consultũ est, semper permiscere aliqua emollientia, & laxãtia, qualia sunt pro lambitivis, & usibus in-

internis, liquirit. rad. & succus, passulæ, rad. Malvæ, & Altheæ.

Extrinsecus juvat illitio ad pectus butyri maximè rancidi.

Deprædicatur fomentum ex folio brassicæ butyro probè illito, & pulvere cumini conspersо, calidoque admoto pectori.

Sputo tenui, & insipido conveniunt decoct. Aristoloch. rot. jujub. prunor. subausterorum, virgæ aureæ, nummular. *Veronicæ; Eclegmata* ex amylo, gummi Arabico, Tragacanta; terra quæcunque medicata cum melle, vel oxymelite admixta portione sulphuris, vel myrrhæ, vel Aristol. rot. Cremor. ptisanæ cum portione amyli.

Sputo salso cõveniunt Decoct. hordei, jujubar. liquir. portulacæ, prunor. dulc. maximè ex jure pedum, & capitum vituli, hædi, agni, item cochlear. & testudinis nemoral.

Emulsio amygd. dulc., & sem. frī-

gid. majorum, præcipuè addita farina amyli: ptisana, vel panatella cum iisdem emulsionibus, addita etiam emulsione seminis papaveris albi urgente salsedine; succus prunorum dulcium delinctus. Butyrum recès, tùm delinctum, tùm ferculis additum, tùm pectori illitum.

Si placet Syrupum componere ad hunc usum.

℞ *Succi pomorum dulc.*
Suc. vel decoct. portulac. an. ℔ ß.
Depuratis adde.
Mellis despumat. ℥x.

Bulliant ad syrupi consistentiam. Cujus usus erit pro Eclegmate, & cum syrupis.

VACUANTIA PER Palatum.

CAput triplici ratione vacuatur per os mediantibus palati ductibus, nempè masticatione, gargarismo, & palati illitione.

Pro masticatione, in causa calida cõ-
ve-

veniunt charta, præsertim bibula, caricæ, amygd. amar. vel nucl. persicor. uva passa, mali citrii frustum integrum, Arantii cortex.

In causa frigida cyperi radix, acori, Angelicæ utriusque radix, Valerian. sativ. Imperat. radix, sem. fœnic. anis. sesel. siler. mont. gran. Junip. Lauri baccæ, & folia.

His valentiora sunt, atq; intensæ frigiditati cõveniunt *folia Iberidis, hydropiper: Lepidij*, nastur. satureiæ, hyssopi montan. puleg. sylvest. rutæ sylvest. rad. pyreth., sem. thlaspios, sinapi, staphid. agriæ, quæ ut facilius terantur dentibus, excipi debent cera flava, & in orbiculos, vel morsellos formari.

Pro gargarismo, cujus est locº tantum in causa frigida, cõveniunt decoctiones calamenti, chamædrios, hyssop., fol. lauri., lavendul major., puleg., serpil, spicæ Italicę, quæ partim gargarizantur, partim calidæ ore detinentur.

Valentißimi gargariſmi fiunt ex decoctione herbar. pro valentioribus maſticatoriis propoſitar., maximè ſi addatur portio aquæ vitę, vel vulgaris diaſinapi, quod Moſtardam vocant.

Pro palati illitione, quæ etiam locũ tantum habet in cauſa frigida, conveniũt jam dictæ decoctiones cum melle ad ſyrupi conſiſtentiam inſpiſſatæ.

Præterea Aq. vitæ, moſtarda vulgaris, vel electuarium aliquod molle ex dictis paratum. v.g.

℞ *Baccar. laur.*
Iunip. an. ℥ j.
Hyſſopi.
Saturejæ an. M. j.
Sem. Aniſ.
Fœnicul. an. ℥j.
Rad. Acor.
Imperat. an. ℥ij.

Trita, & cribrata excipiantur Mellis deſpum. ℔.ij. F. El.

VA-

VACUANTIA per Nares.

PUrgantiũ caput per nares: quædam sua acrimonia sternutamẽtum excitant, convenientia humori valdè crasso, & impacto, nec nõ sopitæ expultrici. Quædã sine sternutamento humorem provocãt: inter quæ alia tutò adhibentur, etiam capiti ad calidum inclinanti, alia conveniũt tantum humori & capiti frigidiori. Sternutamentũ excitãt insufflati pulveres omniũ propositorũ pro valentiori masticatorio, ac præterea attractum naribus decoctum nigellæ, & elleb. nigr., succus rad. ciclaminis, bryoniæ, & elaterium aliis liquidis nasalibus dissolutum: idem præstat, sed paulò mitius radix cycluminis turundæ forma indita naribus, & cortex Arantii inditus.

Sine sternutamento caput etiam calidũ vacuabitur decocto, vel succo Malvar., bl.ti, præcipuè albi, fol.

betæ,& brassicæ,aq.hordei,rad.betæ.turundæ modo indita,maximè si prius contabuerit in aq.tepida,illitione narium butyro recenti.

In causa frigida conveniet, decoctio,vel succus anagallidis,betonicæ, rad. betæ cand. chelidon. mai. hederæ mural.hyssop.rad.iridis recent.majoran.salviæ,tabaci.

Indi solent quoq; naribus forma turundæ rad.cyclam.,&Iridis oleo, vel butyro perunctæ, vel aqua præmaceratæ, quando sternutamento non est opus.

Præterea convenit fumus herbarum dictarum exiccatarum, præcipuè Majoranæ Hyssopi, thymi, eo tubulo haustus, quo excipi solet fumus Tabaci Indici; Ex his componi possunt aliqua Errhina,v.g.
In causa frigida:

℞ *Succ.Rad.ireos inspiss.*
Succ.fol.hederæ inspiss. an. ℥ij.
Pulv.major.vel Thym. ℥i.

Bu-

Butyr. recent. ℥ß. Misc. F. Linimentum.

Quo illinatur turunda ex gossypio indenda naribus; vel,

℞ *Succ. bliti per filtrum, aut multis percolationibus per crassiorē pannum optimè depurati* ℥iiij.
Agarici crassè triti ℥i.

F. infusio per noctem. Postridie F. colatura, quæ tepida naribꝰ hauriatur, vacuat caput ad stuporem absq; insigni agitatione.

VACUANTIA
Insensibiliter.

HOrum materia latissimè patet. Omne enim calidum rarefaciendo, & in halitū vertendo insensibiliter vacuat, immo omnia ficca humiditatem cohibendo, omniaq; astringentia, eandem exprimendo, hoc genere vacuātium censeri possunt. Propriè tamen hoc nomē merentur digerētia, quæ humorem in halitum lentè vertunt: Discutiētia,

quæ cõfertim id agunt, & flatus etiam crassos dissipant. Rubiacantia, quæ validissimè id præstãt, valdoq; calore materiam intus latentem etiam non probè attenuatam dimovent, & ad cutem trahunt.

DIGERENTIA.

MAgis obvia sunt; Absynthium, Anethum, Apii omne genus, Chamæmel. Cotula fœtid. Fenugræca. rundinis radix, Lilium albũ, Lini semen. Mel, melilotus, Rosmarin. verbascum, vinum potens maximè vetus, quæ dari possunt forma decoctioni- syrupi, Electuarii.

Ex iisdem parari possunt per decoctionem olea, & fomenta prousibus externis, quibus etiã addi possunt sequentia internè nõ exhibenda, videlicet rad. ciclam. cucum. asin., asphodeli, fol. ebuli, sambuci, alumen, nitrum, vitriolum, sal marinus. Per se quoq; admoventur externè pro illitionib°, butyrum rancidum,

cidum, maximè salitum, oleum vetus salitum.

Profomentis: Aq. calcis vivæ, aq. thermalis calida, aq. dulcis bene calida; Lixivium forte, vinacea calida, luta thermarum calidarum, & earum foveæ, arena fervens, cinis calens cum vel sine furfure, & sale sacculo inclusus.

Pro Emplastris: Cochleæ tritæ cum putamine.

Caseus antiquus cum decoctione carnis salitæ, præcipuè suillæ, contusus in formam Emplastri.

Farina fabarum vino excepta, vel decoctione jam dictorum, addito si placet oleo & oxymelite, vel melle.

Privatim ad absumendum lac cito, & absq; periculo, nè grumescat in mammis, habent illa pro secretis mulieres, quæ lactare nolunt, vel non possunt; folia viridia nucis juglandis in sinu gestata.

Linimentum ex æqua portione

mellis, & resinæ linteolo continuè admotum.

Cataplasma ex farina fabar. cum oxymelite, & decoctione petroselini, vel decoctione Malvarum ex Aceto. Fomentum ex æqua portione decoctionis petroselini & aceti, addito croci momento.

DISCUTIENTIA.

PAratu faciliora sunt, agni casti semen, & flores, (quorum maceratione fit, oleum colico dolori appropriatum) *allium, angelicæ* utriusq; radix, & sem. Anis. sem. Arantii, & Citrii semen, & cortex, calamentũ quodcumq;, præcipuè montanũ, semina cumin., carvum, daucus, fæniculum, hyssopus, imperatorię radix, juniperi baccę, & lignũ, lavendula, lauri folia, & baccæ, colicis, & uterinis dolorib. appropriatæ, lupini, major. mentasicca, ocimum, origanum, polium, pulegiũ, ruta, satureia, serpillum, spica Italica,

ca, thymum, quæ omnia dantur sola, vel mixta forma decoctionis, syrupi, Electuarii, vel eorum pulveres ad ʒi. bibuntur ex vino, aut cibis asperguntur.

Huc pertinent aq. vitæ, & vinum vetus, quod veteres dare solebant cum pipere, crasso modo trito.

Parari potest vili pretio tinctura efficacissima, cujus una aut altera guttula ex jure bibita, vel vino, potenter discutit flatus, & cavo denti dolenti indita, illicò dolorem sedat.

℞ *Piperis nigr. crasso modo triti*
ʒij.
Aq. vitæ opt. ʒviij.

Inde phialæ angustioris colli, & probè obturatam serva per octiduũ in loco calido. F. Tinctura rubicundissima servanda in vitro optimè clauso.

Si placet vinum Hippocratico simile conficere,

℞ *Sem. Anis.*
Fœnic. an. ℥ij.
Rad. Angel.
Acori.
Imperat. an. ℥ß.
Fol. Calament. mont.
Lavend.
Major.
Menthæ ficcæ an. M. i.
Bacc. Lauri ℥i.

Omnia crasso modo trita *in*dantur *colo*, per quem transcoletur vinum album generosum, toties iterata colatura, donec materia odorem & acrimoniam perdidisse videatur. Hujus vini sumatur ℥i. aut ij. per se, vel cum alio vino potenti.

Extrinsecùs fieri possunt fomenta ex dictarum herbarum decoctionib⁹, sed efficaciissima sunt suffumigia procurata extincto lapide pyrite, vel molari iisdem decoctionib⁹. Fiunt. a. efficaciores decoctiones

ex

ex vino potenti, lixivio forti, & aquis sulphureis naturalibus.

Est etiam efficax sacculus ex milio torrefacto, flor. chamomeli, & sem. cumin. vel rutæ foliis.

Sunt, qui extollant colocyntidis pulpam cum absynthii tertia parte sacculo inclusam.

Pro secreto habetur ad siccandum ventrem aqua turgidum, Emplastrū ex æqua portione fol. rutæ, & absynthii contusorum cum melle ad formam cataplasmatis.

Optimum est etiam fomentum ex aq. calcis vivæ extinctæ aq; sulphurea Thermali.

Pro illitionibus extemporanea parabuntur olea ex dictis herbis parata per decoctionem. E.g.

℞. *Baccar. laur.* ℥i.
Fol rutæ. M.i.
Ol. commu. ℔.ß.
Vini generos. ℥iij.

Baccis crassè tritis, foliis vero

concisis, F. infusio per hor. iij, deinde bulliant ad consumptionem humiditatis & F. colatura.

His omnibus adde cucurbitulam magnam cum multa flamma, inflatæ parti admotam, cui in discutiendo flatu vim incantamento similem tribuit Galenus.

Aliquando etiam absq; discussione extrahũtur è corpore flatus quibusdam instrumentis chirurgicis, citissimè agentib. sic flatus crassa intestina *distendentes* extrahunt immisso (post redditum clysterem fæces educentem) syphone sicco.

Hippocrates follem fabrilem usurpavit.

Eadem ratione flatus uterum replentes, beneficio syphonis, subtile, & oblongum collum habentis, facilè extrahi possunt.

RUBIFICANTIA.

Sic dicta, quod insignem rubo-rem cuti adferunt, digerentibus, &

& discutientibus frustra tentatis, tandem usurpantur, ut in antiqua Ischiade, & dolore capitis gravativo, contumaci, sæpè usu venit: applicantur a cuti forma cataplasmatis trita, vel per se, vel cum aceto calido, suntq; sequentia magis vulgaria. Allium, arum, dentillaria, hydropiper, iberis, lepidiũ, pulegium silvestre, sinapi, staphisagria, ranunculus vulgaris, fit etiam cataplasma per se ex *fimo columbino, vel anserino*, vel ex pice arida liquata ex quarta parte olei alicujus calidi, puta laurini, vel rutacei, parti sępius admota, & vicissim avulsa, donec pars primò rubescat, deinde leviter intumescat, & rursus subsideat: nam si ad ruborem usq; partis tantum sinetur, habet potius rationem remedii calefacientis, & renutritionem membri adjuvantis, quam insensibiliter evacuantis. Ideo in ventriculo frigido, & sicco, membrisq;

pa-

paralyticis, & extenuatis habet singularem usum post debitas corporis evacuationes.

Hac de medicamentis materiam copia peccantem respicientibus.

AUGENTIA MATERIAM Necessariam deficientem.

DEficiunt aliquando humores boni, & quædam ex illis orta, quæ omnia per se augentur opera naturæ probum alimentum immutantis, *per accidens a. producuntur beneficio medicamentorum* impedimenta removentium. Itaq; omnia calorem roborantia, & quantia intemperies humorum, & viscerum per accidens augent sanguinẽ, quorum enumeratio petenda est inter alterantia, eadem ratione generantia lac, & semen, quorum alterum ad fœtus editi in lucem nutritionem, alterum ad generationem est necessarium, propriè ad alimenta pertinent, cum utrumque ex sanguine or-

ortum trahat; Impropriè tamen illa quoq; medicamenta dici possunt, augere lac, & semen, quorum beneficio sanguis facilius, copiosiusque in utramq; naturam faceſſit.

LAC AUGENTIA.

LAc ergo augentia etiam dicentur, quæ impurum sanguinem emendant, fluxilem reddunt, fundunt ad ubera, impellunt, & attrahunt.

Emendant, primò, purgantia humores pravos, quib. contaminatur sanguis, deinde excedentes sanguinis qualitates & quantia, qualia sunt

In Habitu calido.

Aq. hordei ex jure, jus carnis boni succi, alteratum lactuca, malva, polygono virente, & soncho.

Præfertur lacteus sonchi, & Taraxaci succus juri mixtus.

Datur utiliter ex aliquo horum decoctorum pulvis cryſtalli naturalis à ʒß. ad ʒi.

In

In Habitu frigido.

Decoctum præsertim ex jure summitat. anethi siccati, sem. anis. Erucæ domesticæ, fœniculi, polii recentis, porri ex aqua decocti.

Fundunt, & proprietate quadam ad ubera impellunt jura alterata anetho, virente apio, & petroselino virente, cicere, cytiso, polygala vulgari, & vinca pervinca.

Attrahitur sanguis ad ubera, suctione frequēti, frictione molli, & fomētis *laxantib. inter quæ optimū* fit ex vino albo calido, itē decoctione camomæli, & Anethi recentis; uti & malvar. sem. lini, Alth. sive decoquantur ex vino, sive ex aqua.

His non proficientibus, admovenda sunt rubificantia usque ad mammarum ruborem.

In hunc finem olim percuti, contrectari solebant ubera fol. urticæ recentibus cujus usu frequenti fama est, etiam masculina ubera excre-

crescere consueviſſe, ut lactationi idonea evaderent, apud Cretenſes.

Inter alimenta viliora plurimum lactis generare creduntur, ova gallinarũ, vinũ album, oryza cum lacte cocta, pulmentũ ex polline farinæ, & lacte, aut jure; pulmentum ex polline farinæ, & vino albo, additis ovis, & butyro; gratius ſit ferculum addito ſaccharo, & omiſſa farina.

Semini augendo conveniunt inprimis illa alimenta, quæ vim habẽt medicamentoſam, & calidos, tenuesq; flatus ad erectionem virgæ facientes movent.

Vilia ſunt Caro Anatis, anſeris, cerebra bubula, & ſuilla, pipere, & ſale condita, jus bubulæ coctũ cum mentha viridi, aut eruca, ſuccus expreſſus ex pulmone arietis aſſati, ova cyprinorum frixa, piſces oſtracei pipere conditi, polypi, ſepiæ, & cancri eodem modo conditi. Tubera quæcumq; condita pipere, & ſale.

Inter

Inter legumina cicer album, fabæ, & phaseoli.

Inter fructus Avellanæ, castaneæ, mala insana oleo, sale, & pipere condita, poma dulcia, & uva pensilis.

Inter herbas allium virens adhuc tenellum, cinara, asparagi.

Cepa tenella, Eruca, horminum, napi, rapi, pastinacæ, & selini vulgaris radix.

Hæ efficaciora censentur radix satyrii, genitale tauri, cervi, testes apri, vulpis, & verris venerem experti vino albo loti, & in furno siccati: Horum pulvis, vel mixtim, vel singillatim bibitur ex vino albo ad ʒ.

Efficacissimus, & paratu facillimus est hic pulvis.

℞. *Genitalis Tauri.*
Boracis officin. an. ʒij.
Rad. crassior. satyrion. ʒij.
Zingiber.
Cinamo an. ʒi.
Croci ℈ß. Misc. F. pulvis subtilissimus.

Cu-

Cujus exhibeatur mane, & post cænam 3i. ex tantillo vini generosi.

ALTERANTIA CAUSAM morbificam.

CAusa morbifica multifariam peccat, qualitate manifesta nimirum & occulta, hæc postulat alexipharmaca; illa, vel est prima, quã corrigunt medicamenta calida, frigida, humida, sicca; vel ex primis oritur, crassities nimirum, tenuitas, lentor, durities, ex siccitate, & concretione, nec non acrimonia, quib. opponuntur attenuantia, incrassantia, incidentia, detergentia, emollientia, grumos dissolventia, & demulcentia. Quæ primas qualitates corrigunt, atq; inde ortam crassitiem, tenuitatem, & lẽtorem, concoquentia, & prę parantia dici consueverunt, quia excedentiũ qualitatum æquatione humores à naturali calore facilius vincuntur, & si qui ad cõcoctionem planè sunt inepti,

ad expulsionē minimè laboriosam idonei redduntur. Alia quæ tollunt acrimoniam, & duritiem non modo inserviunt humorum prēparationi, sed etiam partib. exasperatis, & induratis, quemadmodum etiam lentorē detergentia conveniunt plurimis aliis usib. uti fæditatib. cutāeis, sordidisq; ulcerib. ideo sejūctim enumerāda sūt post p̄parātia hūores.

BILEM PRÆPARANTIA.

SIbilis tenuis sit, ac *fervida conveniunt hordeum, lactuc.* port. nymph. viol. purp. Horum decoctiones ab ℥viij. ad ℔.i. circiter.

Efficaciora sunt succus fructuum berberis, granat. acid. ribes vulg. & omphacium benè depuratum, quæ addi possūt decoctionib. ab ℥i. ad ij.

Extremum remedium est serum depuratum cum emulsionis ℥i. circiter sem. papav. alb. vel solatrum hortense, & sempervivum majus additum decoctionibus.

A

A dulcioribus syrupis in hoc casu planè abstinendum.

Si crassior sit, vel adustione, vel crassorum humorum permixtione, conveniunt attenuantia frigida, vel temperata, acetosa, succ. citri. lim. Arantior. maturor. chondrilla. cichoreum, cap. ven. endiv. fragaria, hepatica, hieracium, laphatum quodcunq; scariola, sonch⁹. Tarax. Trifol. acetos. sem. mel. citrul. cucurbit. cuc. unde fiunt emulsiones.

Ex herbis fiunt decocta ex jure carnis, vel aq. quibus addi possunt ℥ij. circiter emulsionis dictorum seminum vel succorum citri, limonum & Arantiorum.

Dantur quoq; herbarum succi depurati ab ℥i. ad iij. circiter ex jure, præsertim hyberno tempore, quando desunt herbæ recentes.

Ex his succis depuratis ex tẽpore fieri possunt syrupi, si addatur æqualis quantitas mellis despumati, &

coquatur ad syrupi consistentiam, M. scentur decoctis ab ℥i. ad ij.

Oxymel quoq; simplex ad ℥i. additum dictis decoct, utile est si adsit adustio, convenientissimum est serum depuratū ad ℔.iß. circiter cum emulsione dictorum seminum.

Pituitam præparantia.

HÆc omnia calefaciunt, & attenuant, ac si pituita valdè lenta sit, & crassa, incidunt quoq;, & detergent, eadem conveniunt pituitæ *salsæ, si temperentur jam* narratis præparantibus bilem.

Ergò si pituita crassitie, & lentore non excedat, convenient:

Pro capite: beton. chamæd. ruta caprar. major. rosm. salvia, stœchas, Valerian. sylv.

Pro oculis. calend. euphrasia, fœnic. verbenaca.

Pro nervis: chamæpyt. gran. junip. peucedan. primula veris.

Pro articulis: eadem conveniunt.

Pro

Propectore: Caricæ, liquirit. pulmon. farfar. scabios.

Procorde: Angel. Card. sanctus, Card. stellatus, Cariophyllata, Heder. terrest. Lavendul. pimp. scord. v. nec toxici radix.

Pro ventriculo: absynthium, arant. & citri, cortex, & semen, mentha.

Pro jecore: Absynthium Ponticum, Agrimonia.

Pro liene: Ceterach, Epyth. Fumar. cortex, rad. capp. Tamarisc.

Pro utero: Arthemis. cap. ♀. calamenth. matricar. puleg. sabina.

Pro renibus, & vesica: Apium, Asparag. fœnic. petros. ruscus.

Pro toto corpore: Quinquefol. Tormentil. Oxymel. mulsa plenior.

Ex dictis fiunt syrupi, decoctiones, quibus utiliter additur oxymel ab ℥. i. ad ij.

Ventriculo, & *intestinis* inutiles sunt decoctiones, quia nimis citò præterlabuntur partem affectam.

Conveniunt ergo solum Oxymel ad ℥ij. vel syrupus ex dictis herbis præparatus, cui addi potest emulsio sem. citri, vel Arantior. ex ℥ij. circiter juris carnis, vel datur oxymel, in quo per noctem contabuerit coma absynthii.

Si pituita sit admodum crassa, & lenta, nunquam omittendū oxym. additū decoctionib° appropriatis, quib. incoquātur aliquę ex his herbis magis incidentib. & detergentibus, nimirum *hyssopus*, prassium, polium, saturei. serpil. Thym. Tragoriganum.

Si placet extemporaneū aliquod oxymel componere, ꝙ vi detergendi, & incidendi oxymel scyllitieum æmuletur, tale esse poterit ad viscerum obstructiones. ℞ *Fol. beton.*

Agrimon.
Absynth.
Fumar.
Pentaphyl. an. M. j.

Hyf-

Hyssop.
Prassij.
Thymi.an. M. i. ß.
Rad. asparag.
Fœnicul.
Petrosel.an. ℥i.
Aq. communis. ℔. vj.
Mellis ℔. ij.

Bulliant lentissimo igne ad perfectam despumationem mellis. facta colatura, adde *Aceti opt.* ℔. i.
Sem. Anis. ℥ij.
Cinam.
Zingib.an. ℥j.

Coq. lento igne ad consistentiam syrupi.

MELANCHOLIAM præparantia.

SI melancholia non sit adusta, cõveniunt borrago, buglos. cuscut. cetrach. capil. ♀. liquirit. lupul. melis. fumar. pruna dulc. quorũ decoctionib. utiliter etiam additur oxymel. ratione aceti humoris crassi iẽ incidentis.

Si humor sit adustus, conveniunt præparantia bilem crassam, & præterea succus pomorum redolentiũ, qui peculiarem habet prærogativã; admiscetur ℥i. adij. dictis decoctionib. herbarũ, vel indè fieri potest syrupus, sumendo unam partem mellis despumati, & duplũ succi pomorum depurati, & coquendo ad liquidioris syrupi consistentiã, tum ad consumptionem tertiæ partis.

ACRIMONIAM DEmulcentia.

ACrimoniam demulcent quæcũq; vel suavi humiditate temperant, abluuntq; materiam acrem, vel oleositate, & lentore oblinunt, quorum insignis est usus in cardialgia, & dysenteria sananda.

Abluunt temperantq; *aq. fontis, vel fluviatilis amyd. dulc. emulsio. sem. 4 frig. maj. Emulsi. Aq. hord. decorticat. & ex eo* paratæ ptisanæ cremor, jujubę, halicæ cremor, lactuca, lac omne, præ-

præsertim bubulum, lactis serum, liquir. pruna dulcia, & poma dulcia. nymphæa, portul. sonchus, solani halicacabi fructus, semper vivum utrumq;, umbilicus veneris.

Ex herbis fiunt decoctiones aut syrupi, præsertim sumpta sapa loco mellis, & cum æquali portione succi herb. ad debitã consistentiam cocta

Ex his quædam componuntur quibusdam partibus singularia.

Ad dolorẽ oculorum ex acri fluxione, valet cataplasma ex pomo dulci cocto in lacte, tepidũ oculo admotũ.

Ad urinæ ardorem decoctum liquirit. & fructuum alKakengi; quotidie sumptum ad ʒvj. in prima mensa, vacuo adhuc stomacho.

Ad Tormina decoctum sempervivi major. ex aq. pluviali.

His adde plumbum externis tantum illitionib. usurpandum, agitatis oleis in mortario plumbeo usq; ad crassitiem.

Oblinunt albumen ovi, & ejus aqua, amylum ferculis additum, butyrum recens, cera pilularum forma deglutita, jus pingue intestinorum, capitis arietis, hædi, vituli, pedum pariter porci, ac vituli, oleum benè maturum, præsertim cum aq. fontana ad humiditatis consumptionem coctum. Inter herbas alth. alcea, malva, rad. borrag. & consol. maj. harum enim herbarum decocta mucilaginea sunt.

Pro secreto habeatur *ad urinæ ardorem* aq. albuminis ovi 1. cùm pari succo Limonis hausta.

Ad dysenterias decoctum alceæ.

Huc pertinent pedes perdicis assati quorum pulvis ad ʒj. exhibitus ex aq. Coriand. præsente febre, ex vino rubro eadem absente, tridui spatio dysenteriam sanat.

Ad ulcera dolentia, & nubeculas, ophthalmiæ, vel rubori oculorum conjunctas: Balsamum sacchari soluti in albumi-

humine ovi ad duritiem cocti: fit verò optimum hac ratione, indatur saccharum pulverisatum vitro optimè prius loto ex aceto forti, tum decoquatur super cineres usque ad perfectam rubedinem, postea solve per deliquium in ovo adduritiem cocto exempto vitello.

Externis remediis utiliter adduntur sevum hircinum, & cervinum, axungia, ecens, pinguedo capellæ (ex qua cum pomis fit pomata vulgaris) medulla quadrupedum, cera, præsertim alba, & mucilagines sem. lini, fœnu græci, psyllii, cotoneorum, nec nõ rad althææ, & malvar. quamvi psyllii, & cotoneor. mucilago addi etiam soleat medicamentis internis ad cardialgiam.

DETERGENTIA.

DEtergentia contraria esse videntur epicerasticis, seu demulcentib', quandoquidem lentorem auferunt, & quodimpactum est

partibus, abstergunt, cujus generis sunt omnia salsa, nitrosa, acria, & amara, cutaneis fæditatibus, sordidis ulceribus, & obstructionibus convenientia, sed quia horum multiplex est materia, ut omnis confusio vitetur in tanta varietate, proponentur hic detergentia potissimum conferentia cutaneis affectionibus, alia, quæ obstructiones tollunt, & ulcera purgant, subtitulo exobstruentium, & sarcoticorum, *de quibus infrà in censu medicamentorum morbos respicientium.*

Cutem ergò *detergunt* amygd. amar. aciditas citri, & limonum, butyrum maximè salitum, Entali, Dentali, Mater perlarum, fabarum flos, cortex, & farina, fænugræcum, furfur, hordeum non decorticat. lilii albi flos, & radix, folia lauri, & baccæ, lappatum sylvestre, & acutum præsertim ejus radix, lac, & ejus serũ, lythar-

lythargyrium, malva, poligonati radix, scabiosa, balnea quæcumq; naturalia acida, & moderatè calida.

Ex herbis fiunt decoctiones pro lotionibus, & balneis.

Ex aliis varia componuntur tum ad faciei nitorem, & delendas maculas, tum ad scabiem, & pruritum.

Pro facie abluenda, & dealbandis manib. singulariter conferunt: amygd. amar. vel nuclei persicor. contusi, & cum lacte ad pulmenti formam redacti.

Item farina fabar. cum sero lactis subacta ad liquidi linimenti consistentiam.

Panis ex hordei farina cum lacte pistus mediocriter coctus, & calens, blande affrictus.

Celebratur quoq, lac virginis appellatum, quod fit ex una parte lythargyrii, & duplo aceti, miscentur, agitantur, per tres horas macerantur, postea filtrato acetoin funditur

aq. pluvialis aut fontana, in qua parum salis solutum sit.

Omnium præstantissimum cosmeticum hujus generis est hoc.

℞ *Entali.*

Matris perlar. an. p. æ.

Terantur crasso modo, tum F.S. S.S. cum aciditate limonis, & reponantur in loco humido, donec liqueſcat, potest liquor p se usurpari, vel per filtrum, aut B.M. destillari.

Ad pruritum, & scabiem mitem optima sunt hæc unguenta.

℞. *Lythargir. auri trit. & cribrat.* ℥iij.

Aq. Rosar.

Ol. Communis. (præstat rosac.) *an.* ℥iij.

Instilletur aqua prius sensim & sensim agitando continuè in mortario pistillo ligneo, donec pulvis totam aquam absorpserit, eique probè commixtus fuerit, tum adde oleum sensim, & sensim semper

per agitando usque ad probam mixtionem, vel, ℞ *Butyri recent.* ℥ij.
Rad. Oxilapathi cocta, & per setaceum transmissa.
Ol. Communis.
Suc. Limonum an. ℥.i.
Bacc. Lauri in tenuiss. pollinem trit. & cribr. ℥.ij.
Misc. F. Linimentum S. A.

Potest omitti succus limonum, nihilo imminuta compositi facultate.

Mediocriter *detergunt: pro lotionib. & balneis:* Aqua marina, aq. Thermalis, salia, nitrosa, alumino sa, urina, ros majalis, succus agrestæ, sapo albus, decoctum Agarici, Arundinis radicis, hederæ muralis, lupini, vitis nigræ, Rhododendri.

Pro illitionib. resinæ omnes maximè Laricina, & Therebinthina, lachryma abietina, myrrha, sambuci cortex medianus, cornu capræ ustum, os sepiæ ustum, Tabacum recens, sal. comm. cinis.

Ex his aliqua parantur usu comprobata, cum ad scabiem tùm ad faciei maculas.

Ad scabiem;

℞. *Fol. oleand. pulv. & cribrat.* ℥.ij.
Sal. commun. ℥i.
Butyr. ℥iß. Misc. F. Linimentum.

Vel,

℞. *Fol. Tabac. M. i.*
Oleand.
Lauri. an. M. ß.
Butyr. ℥iij.

Contundantur in mortario, donec omnia probè misceantur, tum liquescant super prunas, fiatque expressio fortis.

Vel. ℞. *Baccar. Laur.*
Ciner.
Salis. an. ℥.i.
Ol. communis ℥iij.
Ceræ ℥ij. Misc. F. linimentum.

Vel ℞. *Resin. Laricin. aut therebint.* ℥ij.

Bu-

Butyr.recent ℥i.
Ole.Laur.
Suc.Limon.an. ℥ß.
Sepiæ uſt.vel
Ceruß.aut Litharg.præp. ℥i.
Sal.comm. ℈ij. Miſc. F. linimentum.

Vel. ℞ *Cortic.median.ſambuci.*
Fol.Tabac.an. M.ß.
Ol.comm. ℥iij.

Coquantur lento igne ad conſumpt.humiditat.(cujus ſignũ eſt,ſi folium igni injectum flammam illico concipiat absque crepitu) facta expreſſione,& colatura adde

Myrrhæ ſubtil.pulv. ℥ij.
Ceræ flav. ℥ß. Miſc. F. Linimentum.

Hic quoque lapis,ſi convenienti liquore diſſolvatur, & inde lavetur locus affectus, ſcabiem, & impetiginem tollit,&

℞ *Alum rup.* ℥ß.
Lithargir.aur. ℥iij.

Borac. Officin.
Sal. marin.
Ceruſ. an. ʒi.
Acet. opt. ℔.i.
Aq. pluvial. ℔.ß.

Ceruſſa, & lythargirium, terantur, & cribrentur, tum coq. in olla nõ vitreata ad lapideam conſiſtentiam.

Ad faciei maculas.

℞ *Roris majal. per filtrum filtrat.* ℔.ij
Succ. agreſtæ vel Limon. vel Aurantior. acid. ℔.i.
Rad. lilior. alb.
Polygonat. an. ʒij.

F. infuſio per dies tres in fimo equino vaſe bene clauſo, tum ejusdẽ fimi calore deſtillentur pro lotione faciei.

Vel ℞ *Saponis albi rore majal. aut aceto in ſpumam ſoluti* ʒij.
Farin. Lupinor ʒß.

Milc. agita diligenter, tùm lento calo-

calore, coque ad mediocrem consistentiam, postea adde.

Ol. è nucleis persicor. ℥iij.

Misc. fiat saponea; qua liniantur manus, & facies ante decubitũ; manè abluatur decoctione furfurum.

Valenter detergunt pro balneis, & lotionibus, thermæ sulphureæ, decoct. rad. bryoniæ, ellebor. nigr. centaur. minor. saponariæ. Enulæ, præsertim addito salis, & aluminis momento.

Pro Epithemate aqua calcis vivæ.

Pro Illitionibus, borax officinar. nitrum, sulphur. sapo niger, cinis sarmentitius, calx optime lota, pulpa rad. enulæ, ol. Tartari.

Ex his quædam componuntur utilissima, usuq; compertissima.

Ad scabiem crustosam, & leprosam incantamento simile esse, ait Amatus Lusitanus, hoc unguentum.

℞ *Rad. Enulæ camp. viridis*, ℔. ß.

Pingued. porc. ℥ij.

Tun-

Tundant. simul opt. mis. in mort. lapideo, tùm ad lentum ign. parum ebulliant. F.V.

Ejusdem efficaciæ est istud;

℞ *Rad. Enulæ in acet. acerr. coct. & per setac. transmiss.* ℥ij.
Butyri saliti.
Resin. Laricin. aut therebinth. an ℥ß.
Salis comm. opt. trit. ℈ij.
Sulphuris ℈i. Misc. pro unguento.

Vel. ℞ *Sulphuris vivi.* ℥ij.
Ciner. Sarmenti.
Sal. comm. trit. an. ℥j.

Ligentur in syndone rara, & bulliant in
Ol. comm. ℥iiij.
Acet. vel succ limon. ℥i.

Usq; ad humid. consumpt. & hoc globulo calido ungatur pars scabiosa.

Vel. ℞ *Sulphur. vivi* ℥ß *in Ol. communis* ℥iij. dissolvatur, deinde adde *Sal.*

Sal.triti.

Cineř.optim.cribrat.an. ℥i.

Cerę par. Misc.F.Linimentū.

Pro Lotione.

℞ *Alum.rupei.*

Sal.Communis.

Sulphur.trit.an. ℥j.

Sapon.nigr. ℥iß.

Herd. M.i.

Acet.alb ℔.ß.

Aq communis ℔.vi.

Bulliant ad consumpt.medietat. & f.colatura.

Ad maculas cutis.

℞ *Saponis nigri lixivio forti solut.* ℥ij.

Borac. ℥ij.

Coque ad spissitudinem, deinde adde

Cortis.fabar.subtil.triti, & cribrati. ℥ß.

Ol.è nucl.persicor. ℥iij.

Misc. diligenter usq; ad probam unionem, & F. Saponea.

Loco

Loco dicti olei fumi possunt Ol. cõmunis ℥ij. Ol. Tart. ℥i. Misce, ungatur locus vesperi, mane abluatur aliqua ex dictis decoctionibus.

Antiquæ maculæ, & vitiligines tolluntur aq. calcis vivæ facta ex sero lactis, qua locus defæ datus sæpè attingatur, tũ ablata pellicula restituatur unguent. de lythargirio, inter debiliter detergentia descripto.

Hoc remedio, tanquam *summo secreto, usus quidam magni nominis vir, maximam inter nobiles matronas pecuniæ vim corasit.*

Duritiem emollientia.

QUamvis induratus humor sola emollitione emendari videatur, non tamen ejusdem generis remedia postulat; nam frigidi & sicci humores concretione indurati, calefacientibus sine insigni siccitate funduntur, quæ propriè emollientia dicuntur.

Lac verò, & sanguis quando in gru-

grumos vertuntur, & concrescunt, cum id patiantur proprii caloris defectu, utcunq; calefaciētia, insigniter autem attenuantia, & incidentia postulant.

Denique lac caseosum effectum frigida, & humida requirit cum aliqua partium tenuitate, quia validus calor, serum à crassiori parte separans, lac in caseum vertit.

Emollientia, proprieq; fundentia duplicis sunt generis: alia cōveniūt tumoribus scyrrosis, quæ nonnihil validiora sunt, fusamque materiam discutiunt: Alia mitiora sunt, convenientia humoribꝰ induratis absque insigni infarctu, & copia materiæ, quorū usus etiam in Scyrrhosis affectibus præcedere debet fortia emollientia, ut, quod concretum est, facilius fundatur, tutiusq; discutiatur. *Mitia sunt.*

Alth. borrag. bugloss. branc. urs. fænugr. liquir. sem. lini. lil. alb. malva. melilot. passulæ.

Ex

Ex his fieri possunt decoctiones, syrupi, & electuaria pro usibus interni s. Ingrediuntur quoq; externa fomenta, unguenta, & cataplasmata, quæ potissimùm parantur ex butyro, adipe quocumque recenti sed maximè humano, & taxi, cera nova, medulla quadrupedum, Oesypo, oleo communi bene maturo, sevo, & mucilaginibus althææ, malvæ, fœnugræci ac sem. lini.

Fomentis peculiariter inserviunt lana succida, lanarum prima lotura, & hydrelæum tepidum.

Composita facile parabilia erunt hujusmodi.

Pro Illitione.

℞ *Rad. lilior. alb.*
Malvæ.
Althæ. an. ℥i.
Camomel. vel
Aneth. M. i.
Vini albi. ℥iv.
Ol. communis bene matur. ℥viij.
Coq.

Coq. ad consumpt. humiditat. F. Expressio cum colat.

Vel ℞ *Mucilag. sem. lin.*
Rad. alth. an. ℥i.
Medul. bubul.
Butyr. recen. an. ℥ß.
Ol. communis ℥ij.
Ceræ novæ. ℥ij. Misc. F. Unguen.

Pro Cataplasmate.

℞ *Rad. lilior. alb.* ℥j.
fol. Malvæ. M. i.

Coq. leviter, deinde cum Butyr. recent. ℥ij. tundantur, & fiat Cataplas.

Vel ℞ *Rad. alth. coctæ & per setac. transmiss.* ℥ij.
Par. melilot.
Sem. Lini an. ℥iß.
Rad. lilior alb ℥ß.
Medull. bubul ℥j.
Ol. communis. ℥iij.

Cum decoct. Malvar. q. s. F. Cataplasma.

Va-

Valentia omnia extrinsecus usurpantur, excepto croco, & rad. smilac. asperæ, quæ cum salsaparilla Indorum virtute, fortè etiam specie cõvenit; alia vix administrãtur sola, sed permixta mitiorib. emollientib.

Fomentis ergo addantur rad. bryon. cyclam. cucumeris asinini, & iridis recentis, horum decoct. paratur efficax suffumigium, extincto lapide pyrite, aut molari: Aq. Thermalis bituminosa per se inservit *fomentis, & balneis.*

Pro Illitionibus conferunt adeps anserinus, cervinus, oleum è nucibus expressum, amurca, petroleum.

Emplastris adduntur cæpæ, rad. hyacinthi, narcissi, fol. Tabaci recentis, & flores iridis.

Per se Emplastri vicem gerunt luta bituminosa, stercus bubulum, præcipue cum amurca subactum, caseus antiquus cum jure carnis salitæ subactus.

Cera-

Ceratis adduntur pix arida, resina, colophonia, bitumen; lapis gagates, & ammoniacum, quod per se ceratum exhibet aceto forti dissolutum.

Ex his varia ex tempore componentur ad scyrrhos efficacia. E.G.

Pro Illitione.

℞ *Rad. cyclam.*
Cucum. agrest. an. ℥ß.
Lilior. alb. ℥j.
Chamomeli.
Tabaci recent. an. M.i.
Fol. Laureola M.ß.
Ol. communis ℔.j.
Vini alb. ℥iv.
Aceti ℥ij.

Coq; lento igne ad consumptio. humiditatis, & F. expressio cum colat.

Cataplasma.

℞ *Capæ candidæ in aceto coctæ* ℥j.
Flor. irid. purpur. in vino alb. macerat. P.i.

Adip.

Adip. anser. ℥ß.

Ex omnibus simul tusis F. Cataplasma.

Sunt qui ceratum ex sola pice alba, quam Burgundicam vocant, pro secreto habent, & ammoniaco præferunt.

Sanguinis grumum dissolvunt, & impediunt, acetum, posca, oxymel simplex, decoct. aristoloch. rot., calamenti, sature. thymi, Cortic. nucum viridium, maximè ex posca.

Coagulum leporis ad ℥j. ex posca bibitum.

Extemporaneum, optimumque remedium fit ex lixivio, aceto, sale, & melle hac ratione, ut:

℞ *Lixivii* ℥iij.

Aceti ℥j.

Mellis despumat. ℥ß.

Salis communis. ℈j.

Misce ad lentum calorem pro potu.

Itaq; si Oxymel præparetur, coquen-

quendo mel cum lixivio usque ad perfectam despumationem, fiet gratum, & efficax remedium.

LACTI GRUMOSO

Conferunt mitia emolliëtia mixta, in fomentis quidem cum apio sativo, apio montano, cumino, mentha recenti, & ruta, addita aliqua portione aceti.

In Cataplasmatibus verò cum farina fabarum, farinalentiũ, oxymelite, aut mulsa cum tantillo aceti.

Expertum est hoc fomentum.

℞ *Fol. Malv.*
Althea cum rad.
Apii sativ.
Apii montan.
Fænic. an. M. i.
Fol. Lauri.
Flor. Chamomeli. an. P. i.
Aq. communis. ℔. vj.

Bulliant ad cõsumpt. tertiæ partis pro fotu, & ablutione mammarũ, ex residuo fit optimũ Emplastrũ.

Probata sunt a. ista.

℞ *Therebinth. sæpius lotæ ex vin. alb.* ℥iij.
Ova integra. N. iij.
Croci ℈j.
Cera flav. ℥ij.

Misce F. Ceratum super lineum pannum extendendum relicto foramine, ut papillæ promineant, sugiq; possint.

Vel ℞. *Farin. Fabar.* ℥iij.
Ol. communis ℥ij.
Therebinthinæ ℥j.
Vitel. ovor. N. iij.
Croci ℈j.

Cum decoctione Malvar. & petrosel. facta ex aceto q. s. M. F. Cataplasma.

Butyrum quoq; recens optimè lotum in decoctione Malvarum, vel mixtum pulveri rad. Malvar. vel Althææ, ad unguenti consistentiam, & super fol. brassicæ admotum, est præsentaneum remedium ad dolē-

tes,

tes, & induratas mammas ex cohibito lacte.

Est & hoc singulare.

℞ *Ol. communis bene maturi.*
Ceræ novæ an. p. æ.

Misce, tum ter ablue diligenter Aq. ros. & extende super fol. brassicæ.

LACTI CASEOSO

Eadem conveniunt frigidis, & humidis temperata, & majori portione aceti.

Habet tamen aliquam prærogativam Emplastrum ex furfuribus, aut hordeo cum aceto coctis, addito tantillo croci.

Item Cataplasma ex farina fabarum cum decoctione solani vesicarii ex aceto facta, quod efficacissimum redditur addito coagulo leporino, & butyro recenti.

Hactenus de corrigentibus qualitatem manifestam caussæ morbificæ; qualitas occulta, cum sit

venenata, & illis insit, quæ substantia peccant, postulat Alexipharmaca, infra recensenda inter remedia opposita causæ toto genere præter naturam.

MATERIAM PRÆTER NATURAM QUIESCENTEM MOVENTIA.

DEficientis motus eorum, quæ definito tempore moventur, à natura cõtingit potissimum remorantibus menstruis, partui difficili, retentis secundinis, retento fœtui mortuo nec non occæcatis hæmorrhoidibus innatis, quibus auxiliantur menses provocãtia, partum adjuvantia, secundinas pellentia, fœtum mortuum educentia, & provocantia hæmorrhoides obcæcatas.

MENSES MOVENTIA.

QUæ propriè menses movent sanguinem fundunt, venarũq; laxant orificia, quorũ materia cum latè pateat, distinguitur à Galeno in tres classes. *Mitium*, nimirũ quorum

rum usus est maxime in imminutis mensibus: *Mediocrium*, quæ magis cõveniunt suppressis; & *Valentium*, quæ extremis casibus, & reliquis nihil proficientibus usurpantur, non quidem assumpta per os, sed addita pessariis, aut infusionibus uterinis.

Præcipua & magis obvia sunt, inter Mitia. Capil. Ven. Cicer. rub. primũ jus, Juli Juglandium, flos K ri in umbra siccatus, Lilii alb. flos. Melis. polytrich. quinq; fol. Ex his fiunt decoctiones, & syrupi, potissimum ex vino albo aromatico.

Efficacissima sunt ista:

℞ *Capil.* ♀. *vel polytrih.* P. ß.
Flor. Keiri siccat. ℥i.
Vini alb. odor. ℥vi.

F. infusio per horas xij. deinde leviter bulliant ad consumption. ℥. partis. Colaturæ adde *Croci gr.* iij. Misce pro potu calido.

Vel ℞ *Nucum jugland siccar. non rancidar.* ℥ß.

Iur. Cicer. rubeor. ℥iiij.
Vini albi. ℥ij.

Coq; ad tertiam partem. Colaturæ adde

Croci gr. iij. vel
Cinamom. gr. vj. Misc. pro potu.

Esus quoq; frequens juglandium creditur à proprietate ciere menses, unde mulieres faciunt utiles placentas, & farturas ex nucibus, fol. petrosel. virentis, & croco.

Extrinsecus pro unctione hypogastrii fiet per insolationem, Oleũ keirinum, vel liliaceum, aut extempore fit Oleum per decoctionem, rad. lil. alb. & summitat. aneth. vel Chamomeli.

Mediocria Aristol. rot. Arthemisia, Aromata omnia, inter quæ præfertur Cinamom. & Crocus, Bellis hortensis, Bilinguis, Calamẽthum, Dictamus uterque, gladioli radix, matricaria, majorana, mercurialis, men-

mentastrum, nigella, ocymum, pulegium, sabina.

Ex quibus fiunt decoctiones, syrupi, & Electuaria, vel ʒi. pulverum datur ex vino albo odorato.

Aridis, uti pulveribus, bolis, & pilulis adduntur utiliter borax officin. myrrha, sulphur, & sem. urticæ.

Pro secretis habentur, bellis hortensis aridæ decoctum ex vino albo.

Item Sem. Urticæ ʒi. decoct. ex vino albo.

Item decoct. fol. senecionis hortensis deorsum avulsorum ex vino albo, vel jure Cicer. rubr.

Item pleudodictamus Matthioli, vel decoctus, vel in pulver em tritus, & ex vino albo bibitus.

Item fermenti acerrimi ʒi. circiter dissoluta ex vino albo cum, vel sine tantillo croci bibita.

Item sem. nigellæ ʒi. cum Cinamom. ℈i. ex vino.

Efficaciſſimus eſt quoq; hic pulvis. ℞ *Boracis officinar.* ℈i.
Cinam.
Rad. Ariſtol. rot.
Sabinæ.
Dictam. Cretic. vel
Sem. Nigel. an. ℈ß.
Sacchar. fin. ℈ij.

Miſc. F. pulvis ſubtiliſſimus una vice ſumendus ex jure Cicerum, vel vino albo.

Parari etiam poteſt vinum Medicatum cujus ℥iiij. calidè manè bibita aliquot diebus ante conſuetum menſium circuitum illos potenter provocat. ℞ *Artemiſ.*
Calaminth. montan.
Puleg.
Sabin. an. P.i.
Cinamo.
Sem. aniſi an. ℥i.
Croci ℈i.

Herbæ incidantur, ſem. tundantur, & per 24. horas macerentur in vini

vini albi generosi ℔. ij. deinde parum bulliant, & colentur.

Externè conveniunt insessiones, thermarum sulphuratar. item decoctũ herbarum dictar. ex quibus fiunt quoq; fomenta, & infusiones uterinæ; fiunt quoq; suffitus, qui in obnoxiis hystericæ passioni excitari debent, succensis materiis odoratis; in aliis indifferenter excitari possunt, & fœtidis, & odoratis simul mixtis: nam odorata magis laxant uteri vias, fætida autem expultricẽ ad vacuationem stimulant.

Pro odorato suffitu conveniunt aromata, baccæ lauri, grana juniperi, majorana, myrrha, peucedani radix, satureia, thymus.

Fœtidiorem fumum præbent bitumen, gagates, ruta, sulphur, & obvia quædam gummata, maximèautem assa fœtida, & sagapenum.

Deniq; singulariter commendantur pessi ex allio trito cum oleo spicato,

item ex succo Mercurialis, vel succo rad. Ebuli lana excepto.

Pro secreto habētur plantæ maximæ folia nudis pedum plantis suppositæ gestataque.

Valentia, quæ aliis seu pessis, seu infusionibus uterinis admiscentur sunt Ari, & Serpētariæ radix, Bryoniæ radix, Colocynthis, Cyclamen, Elleb. uterque, fel, maximè bubulum, hydropiper, & staphis agria.

PARTUM ADJUVANTIA.

PArtum facilitant etiam menses moventia, sed præter illa singulariter juvant stercus accipitris ad ℥i. ex vino potum.

Stercus falconis eadem dosi ex vino albo pariter potum.

Testiculorum equi castrati in taleolas sectorum, vino albo ablut. in furno exiccator. pulvis ad ℥i. ex vino aromatico sumptus.

Rad. bilinguis, cardiaca herba, & gallitrichum ex vino albo, datureorum

rum pulvis cochlearis mensura, vel succus ex vino calido.

Secreti magni loco habetur à Fallopio: boracis officinarum ℈j. ex decoct. matricariæ, aut Sabinæ.

Redditur & partus facilior cochleis in cibo sumptis aliquot diebus ante partum.

Item turtur assata, cujus venter fartus sit baccis lauri, juniperi, & cinamomo, comesa, alternis diebus, aliquot ante partum.

Extrinsecus autem instante partu, juvant lapis Ætites fæmori alligatus, Jaspis item, & Corallum ibidem alligatum, & magnes læva manu gestatus.

Secundinas Pellentia.

SEcundinas pellunt jam proposita adjuvantia partum, quæ interne sumũtur. At peculiariter cõferunt, salviæ decoctum ex vino albo, Lauri Alexandrinæ radix. Sem. Matri. syly. Seseleos Massilienſis se-

semen, aut radix. Datur eorum pulvis ad ʒj. ex vino calido, vel salviæ decocto. Valet quoq; pulvis baccar. lauri ad ʒj. ex vino, vel aq. aut decoctione lilior. alb.

Commendatur & hic pulvis.

℞ *Rad. Aristol. rot.*
Myrrhæ an. ʒß.
Piperis ℈j.

F. pulvis sumendus ex æqua decoct. capil. ♀. polytrichi.

Efficacius redditur medicamentum addito tantillo croci.

Habentur quoque pro expertis, Dictamni pulvis bibitus ex convenienti liquore, & pulvis prædictus testiculorum Equi castrati.

HÆMORRHOIDES aperientia.

SI occæcatæ hæmorrhoides tumeant, reserantur affrictæ fol. borrag. ficulneo, cucum. asin. & bryon.; his non proficientibus applicandæ sunt hirudines.

FOE-

FOETUM MORTUUM Educentia.

EXpellentia secundinas, fœtum quoque educunt mortuum.

Dictamno præcipua vis tribuitur, tùm in potu, tùm in suffitu.

Peculiariter etiam juvant caniculæ primæ fœturæ lac potum.

Sium pro olere in cibo sumtum.

Scordii succus ad ʒß. cum croco bibitus.

Suffitus stercoris columbini, sulphuris, spolii serpentis.

Non negligenda sunt etiam ad hoc opus quæ femori alligata partum facilitant.

Inter expertà celebrātur hæc duo.

℞ *Chrysocollæ mineralis* ℈ j. vel
Boracis ʒj.
Cinamom.
Croci an. ℈j. Misc. F. pulvis.

Exhibendus ex vino albo, vel decocto Arthemisiæ.

Item ℞ *Chrysoc. mineral. vel boracis* ʒß.

Dictamni. ℈j.
Succi Sabin. ℥j.
Tritis terendis misceantur ℥iij.
vini albi.

Vel præsente febre decoct.
Polytrich. aut Capil. ♀.
pro potu.

MATERIAM PRAVO Motu agitatam sedantia.

QUæ præter naturam moventur, sistuntur revellentibus ad partem oppositam; repellentibus à parte *suscipiente*, *intercipientibus* materiam fluentem, & astringentibus vias, per quas fit fluxio.

Intercipiunt, quæ proposita sunt ad bilis tenuis præparationem, & quæ oblinendo acrimoniam demulcent.

Repellunt omnia illa, quæ vias etiam astringunt, de quibus paulo infra, & præterea omnia frigida, & humida, quæ incrassando intercipiunt jam proposita.

Revellunt cum rubificantia inter insensibiliter evacuantia enumerata, tum Vesicantia, quæ parantur ex Cantharidibus, ad Cerati, vel Emplastri formam redactis, aut ex flammula Iovis, vel rad. Ranunculi minor. per se tritis, & Cataplasmatis forma admotis.

Exemplum Cerati.

℞ *Cantharid. integr.* ℥ß.
Sem. ammeos ℈iiij.
Resinæ ℥v.
Ceræ ℥ij.

Misce F. Ceratum pro 4. vesicatoriis corpori adulto, convenientibus, pueris, & mollioribus sufficit pars dimidia.

Pro Emplastro ad quatuor vesicãtia

℞ *Canthar.* ℥iij. vel iiij. (p densiori, aut molliori habitu corporis)
Sinapi ℈iiij.
Sem. Ammeos ℥i.
Fermenti acerrimi. ℥iß.
Acet. acer. F. Emplastrum.

Acer-

Acerrimum acetum est scyllitícum, & quod extempore parari potest ex allii, ari, vel Cepæ decoctione, vel dictæ cantharides tundantur, & subgantur cum mica panis recentis, aut cum caricis, subinde irrigando materiam aceto acerrimo, & F. Emplastrum.

Potest quoq; vesica celerrimè excitari affuso oleo, vel aqua fervēte, sed ea ratione, ut per cannulam latā materia aspergatur, ne lati⁹ diffundatur, quam expedit, vel Oleum immittatur parti minutæ Circulo cereo, aut similitàm amplo, quàm magnam cupias excitari vesicam.

CAUSAM SUBSTANTIA peccantem eradicantia.

PEccant substantia, suntque toto genere præter naturam, corpora vulneribus infixa, vermes, calculi, venena, pus, quibus conveniunt extrahentia, vermes necantia, calculum frangentia, alexipharmaca, & pus movēntia. Ex-

Extrahentia quamvis proportionem habere debeant cum infixis corporib. ob quam alia alias materiastrahunt, ut magnes ferrum, succinum, & lapis Lyncurius, seu Belemnites paleam: quædam tamen indeterminatè cuicunq; corpori extrahendo è vulnerib. conferunt, nimirum anagallis, arundinis radix, aristol. rot. rad. dictamum, gladioli superior radix, lacertæ caput, propolis, cotulæ fœtidæ radix, tiliæ cortex medianus, viscum, quæ omnia adduntur Emplastris, vel per se trita ex vino vulneri admoventur.

Admiranda vis attribuitur ad extrahenda omnia infixa, etiam è profundis partib. corporis, linguæ vulpis evulsæ mense Martio, & exiccatæ, atq; usus tempore maceratæ vino, donec mollescat, & calidè vulneri admotæ.

Sunt, qui eandem vim tribuant adipi, & pelli leporinæ, eodē mense con-

conquisitæ, sed operandi modo extrahentib. quod ãmodo adversatur, nam infixa non trahit versus se, sed propellit à se, unde ad vulneris oras non admovetur, sed ad partem aversam ejusdem membri, ut si vulneri syncipiti inflicto aliquid inhæreat, propelli ajunt foras dictis materiis occipiti applicatis.

VERMIUM REMEDIA.

QUædam necant tantùm, quædam necant, & ejiciunt. Necãtium *alia magis conveniunt* lumbricis latis, alia teretibus, & ascaridibus: alia omni vermium generi adversantur, & ob eximiam vim, quà vermes interimunt, veluti vermium venena statui possunt.

Necant lumbricũ latũ: Alliũ, baccæ lauri, filicis fœminæ radix, heliotropiũ majus, mali punicæ radix, mori radicis cortex, sem. nigell. nux juglãs, Tabacũ, Vitriolũ, dãtur in substãtia, vel decoctione, præsertim ex aceto, vel lixivio dulci. *Ne-*

Necant teretes, & ascarides: Acetũ, Ar ntii succ°, aciditas citri, & limonum, sem. brassicę, rad. bistortę, bolus armena, cardiaca herba, cruciata radix, carduus benedictus, graminis rad x, omphacium, portulacę succus, & sem. personatæ radix, succisæ radix, terræ quæcunq; sigil. torment. vincet oxici rad.

Necant & expellunt absynthium quodcunq;, abrotanũ, amyg. amar. aquę Thermales salsæ, Citri, & arantii sem. chamæd. dictamus albus, Gentianæ cujuscunq; radix, lixiviũ, lupini, myrrha, marrubium, persicorum nuclei, flores, & folia; ruta, scordium, sulphur, urticæ sem.

Ex his aliqua extemporanea componuntur usu comperta.

Exempli gratia in potu.

℞ *Emuls. ℥j. sem. Citri, vel Arantior. ex ℥ij. Lixivii dulcis.*

Addendo Vini dulcis, ℥ij. Misc.

Vel ℞ *Absynthii pulveris at. ℈j. in-*

datur

datur malo arantio mediocriter excavato cum tantillo *sacchari & aceti*, coque super cineres calentes, tum F. expressio pro potu.

Pro secretis habentur summitates, vel Eupatorii Avicennæ, vel Absynthii marini gerent. um semen datæ à ℈j. ad ℥j. c reiter ex vino, lacte, aut simili liquore.

Extrinsecùs parantur ex tempore tũ epithemata ex aloe, myrrha, tritis ex aceto, aut exceptis felle bubulo, tùm fomenta ex absynthio super calentem tegulam excalefacto, & aceto consperso, vel ex foliis persici cum aceto calenti tritis.

Pro Illitione parabitur Oleum efficax, hoc pacto.

℞ *Herb Absynth. communis.*
Card. bened.
Scord.
Tabaci an. M. i.
Rad. cyclam. ℥ß.
Colocynth. ℥ij.

Ol.

Ol.commun. ℔. ij.
Acet. Acerr. ℔.j.

Coq;lento igne ad consumptionem humiditatis. F. Expr.& Colat. adde Myrrhę pulver.℥j.iterum bulliant lento igne usq; ad dissolutionem myrrhæ F.denuo colatura.

At veluti venena vermium sunt cornu cervi, cannabis sem. aut fol. succus Corallina,seu muscus marinus. Enulæ recentis succus,hypericum, lumbricorum *terrestrium pulvis*, petasitis radix,ruta capraria, & argentum vivum probè expurgatum.

Dari etiam potest vulgaris Mercurius benèpurgatus,℈j.circiter cũ auro foliato in pilulam redactus.

Efficax est etiam vinũ in quo,vel macerat⁹ sit per noctẽ dictus ☿,vel probè agitatus.optimèpurgatur ad hunc finem,& innoxius redditur,si cum succo rutaceo agitetur in phiala vitrea ad perfectam albedinem.

Gratum,&efficax paratur acetum

si

si in ℔. j. aceti maceretur per biduũ summitatum hyperici P. j. cornu cervi rasi ℥ß. cinnamomi fracti ʒj. & coletur ad usum, sumitur in acetariis, vel ex cochleari, addito saccharo momento.

CALCULUM FRANGENTIA.

LOnge plura apponuntur à scriptorib. quam comprobet experientia, nisi id accidere putemus ob lapidum varietatem, nam multa renales *lapides comminuunt*, à quib. vesicæ *calculus* vix aliquid patitur; neque omnia, quæ lapides adhuc molles, friabiles, & ex arena nõdum probe compacta cohærẽtes dissolvunt, eadẽ atterere possunt calculos durissimos ex lento exiccatoq; muco conglutinatos. Præterea quædã minutiores renũ capillos, & arẽulis affines asperitate sua conterũt, & expurgãt, quæ grãdiorib. calculis etiã renalib. nihil conferũt. Operæ pretiũ est ergò distinguere hujus generis me-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-169830-p0712-1 DFG

medicãenta in tres classes: in ea quę conveniũt lapidi adhuc molli, & ex arenulis non benè compacto, in ea, quę induratum lapidem dissolvunt, & in ea quæ minutiores calculos, & arenulas pellunt: Omnium ordinũ magis obvia præcipuè sunt ista.

Ad calculum minutiorem, & arenulas. Avellan. Sylvest. cortex altheæ flavæ, seu abutyli sem. calx cort. ovor. lapis spongiæ, cochlearum hyemale operculum, lucii piscis ossa capitis pulverisata, Lapis ex capite limacis, lapis Astacorum, mespilorum officula, malvæ sem. milium solis, virga aurea. Dantur in pulverem trita ad ʒj. ex jure cicer. rubeorum.

Ad calculũ adhuc mollẽ & arenosum, Ammi, cardui fullonum rad. cortex rad. lauri, eryngii, rad. fraxini sem. genistæ radic. cortex. Irionis utriusque Matthioli semen, Lappæ minoris sem. mentastrum, nigellæ,

&

& nigellaſtri ſemen, Raphani cortex in decoctione.

Alia dantur in pulverem trita ad ℥j. ex jure cicer. rubr. vel alia decoctione diuretica

Ad calculũ induratũ, & grandiorem.

Apri dẽtis pulvis, cicadæ uſtæ cinis, borax officin. cap. ♀. caudæ tremulæ cinis, & caro. ceraſorum nuclei. Galli decrepiti ſanguis exiccatus, gummi ceraſi, hirundinum pullorũ cinis, limonum ſuccus, leporis integri combuſti cinis, lumbricor. terreſtrium cinis, millepedes vino abluti & exiccati, nuclei perſic. pimpinel. ſaxifrag. ſolani veſicarii, ſeu Al-KeKengi fructus, ſaxifragiæ radix, ſanguis hircinus, vulpinus, & leporinus exiccatus, ſcorpionum cinis, tribulus terreſtris, urticæ rad. violæ purpur. ſem. Hæc eadem arenulis, & calculo molli conveniunt.

Ex compoſitis facile parabilibus celebriora, & arcanorum loco habentur iſta.

&c

℞ *Sanguin. hirci* herbis saxifragis nutriti.
Myrrhæ el. an. ℥ß.
Iuris Cicer. rubr. ℥iij.
Suc. Limon. ℥j. Misce pro potu.

Item ℞ *Sanguinis è viva vulpe.*
Vini albi an. p. æ.

Coq. lento igne in olla vitriata ad formam pultis, cujus exhibeantur ℥v. per 9. dies continuos.

Vel ℞ *Millepedum præpar.* ℥j.
Aq. vitæ ℥ß.
Decoct. Cicer. rub. ℥ix.

Affundatur juri calefacto aq. vitæ, & sumatur tepidum horis 6. ante cibum per 9. dies.

Item, ℞ *Boracis* ℥j.
Iur. Cicer. rub. ℥iv.
Aq. Ardentis ℥ij. Misc. pro potu.

Item, ℞ *Sem. viol. purp.* ℥ß.
Decoct. vel aq. veronicæ, vel Virgæ aureæ q. s.

F. Emulsio danda per 7. dies.

Item, ℞ Succi tribuli maximè ter-

rectris ℥jv. bibatur, calidus per se, vel cum succo lim. Eodem modo hausti succus virgæ aureæ per aliquot dies efficacissimus censetur.

PUS MOVENTIA.

Quamvis immediatè materiam toto genere p. n. non extirpēt, sed naturæ potius concoquenti opem ferant, quia tamen pus confectū citius, tutiusq; evacuatur, mediatè ad hoc quoq; opus concurrūt.

Per se a. pus movent, *quæ partis calorem fovent, seu ob* temperamenti similitudinem, seu caloris influentis effluxum prohibendo porositatum infarctu.

Per accidens pus movent, quæ materiæ excessus retundunt, atq; adeo commixtum sanguinem aptum reddūt, ut à calore nativo patiatur.

Partibus, & habitibus calidioribus conveniunt cæpa cocta, caricæ pingues, crocus, fœnugræcum, lini semen, lil. alb. radix, thus, & in extrinsecis

fecis adeps anserinus, caprinus, fermentum, resina quæcumq;.

Extemporanea Emplastra poterunt esse hujusmodi.

℞ *Picis aridæ ol. liquatæ* q. s. F. Emp.

Vel ℞ *Resinæ cujuscunq;, ceræ flavæ* an. p. æ. misce pro cerato, cui addi potest 4. pars adipis anserini, & formari unguentum.

Vel ℞ *Rad. lilior. alb. coct. & contus.* ℥ij.
Farin. sem. lini.
Fenugr. an. ℥j.
Croci ℈j. *Ol. comm.* ℥iß.
Cum decoct. rad. lilior. q. s.
F. Cataplasma.

Fermentum per se cum adipe anserino subactum est efficacissimum.

Partibus, & habitibus temperatioribus conveniunt althea, malva. amygd. dulc. butyr. vitellus ovi, quibus in extrinsecis adduntur, adeps humanus, gallinaceus, suillus, œsypum, sevum, cera flava, propolis, sapa, tri-

tici farina à furfur. purgata, oleum commune maturum, non admodum vetus.

Per se Emplastri vicem gerunt viva animalia admota, maximè catelli.

Ex aliis extemporanea emplastra sic parabuntur.

℞ *Farin. tritic. vel micæ pan. modicè ferment* ℥ij.
Ol. communis ℥j.
Aq. calid. q. s. F. Cataplasma.
Vel.
℞ *Fol. Malv.* M. j.
Butyr. ℥j.

Frigantur simul in sartagine, tum contundantur ad formam cataplasmatis.

Vel.

℞ *Rad. althææ coctæ, & per setac. transmiss.* ℥ij.
Farin. fœnugr. vel tritic ℥j.
Vitell. ovor. N. ij.
Ol. commun. ℥j ß. F. Cataplasma.

Opti-

Optimum est hoc unguentum ad puris maturationem, & rumpendum abscessum.

℞ *Fermenti acerrimi.*
Vitell. ov. an. p. æ.
Ol. communis
Et Croci ana parum. F. unguent. & extendatur super folium brassicæ.

Partibus, & habitibus frigidioribus conveniunt Aq. calida perfusa, hydrælæum, lac, farina hordei, mala Cydonia cum lacte cocta, folia violæ purpur. & viscus pomorum.

Vulgare Emplastrum paratur ex mica panis cum lacte, & oleo communi, vel rosaceo.

Vel. ℞. *Fol. malvæ.*
Violariæ an. M. j.
Coq. & contund. addendo
Farin. hord.
Ol. communis, vel ros. an. ℥ j.
Misc. F. Cataplasma.

Quòd si accidat ratione pravæ

materiæ tumorem facientis, opus esse pus moventibus per accidens, hoc est, æquantibus excessum materiæ peccantis, quæ aliàs convenirent habitibus calidioribus, convenient tumoribus frigidioribus quia materiam frigidam, & crassam calefaciunt, & attenuant, quæ convenirent habitibus frigidioribus, convenient calidioribus, quia materiæ fervorem compescunt.

Unde constat temperatiora proposita ad omnem occasionem esse aptissima, modo calidis, modo frigidis mixta, prout affectus suppuratione indigens ad frigidũ magis, aut ad calidũ vergere videbitur.

ALEXIPHARMACA.

PRopriè talia sunt, quæ proprietate substantiæ, seu toto temperamento vim verè venesicam oppugnant.

Impropriè hoc nomen merentur quæcunque venena ob evidentis

tis qualitatis excessum respiciunt, qualia sunt Epicerastica venenis exedentibus opposita, refrigerantia opposita venenis inflammat. & calefacientia cardiaca contraria venenis calorem extinguentibus, narcoticis scilicet.

Licet verò singulis venenis propria conveniant alexipharmaca, quia tamen species ferè veneni, nullis propriis, certisque signis deprehendi potest, fit, ut ad communia alexipharmaca, quæ venenis omnibus resistunt, & nativi caloris robur tuentur, semper confugiamus, quorum notitia ideo satis esse videtur ad venenorum, tum præcautionem, tum curationem.

Claritatis autem gratia tres statui possunt communium alexipharmacorum ordines; alia enim adversantur præcipuè venenis in nobis natis, vel ab excellenti putredine, vel indicibili alia corruptio-

ne, & hæc peculiarem habent usum in febribus malignis, & peste. Alia opem ferunt venenis assumptis: Alia medentur venenis morsu, aut ictu instillatis.

Febrium malignarum, & pestis Alexipharmaca, calida quidem conveniunt tempori, & habitui frigidiori, frigida verò, & temperata habitui, ac tempori calidiori.

Calidiora sunt: Carduus Sanctus, Carduus Stellatus, *citri cortex, & sem. dictamni albi* radix, myrrhis, myrrha, scordium, morsus diaboli; ruta caprar. Scorzonera, Valerian. major, vincetoxici radix.

Temperatiora sunt totum citrum, succus ejusdem, præterea Arantiorum, & Limonum, borrago, buglossum, bistorta, bolus armena, cyanus, cornu cervi, pimpinella vulgaris, pentaphyl. scabios. tormentil. terra sigil. quæcumque.

Ex

Ex his aliqua satis utilia parari possunt, bezoarticis pretiosis, & exoticis non inferiora.

In primis utilissimus est hic syrupus ex toto citro, satis temperatus, & omni naturæ conveniens.

℞ *Malum citr. bene matur. & succul. radula contritum, ponderans* ℔.j.
Rad. Scorzoner. ℥j.
Herb. Scordÿ. P.j.
Sem. Cardui Sanct. ℥ij.
Aq. destill. ex succ. pomor. redolent.
ex suc. Acetosæ. an ℔.ij.
Spir. Vitriol. ℈jv. *vel ejus loco.*
Succi Limonum. ℥ij.

Tritis terendis F. infusio per hor. xxx. in vase optimè clauso, tum leviter ebulliant ad consumptionem tertiæ partis.

F. fortis expressio, colatura sensim depuretur per digestionem calore leni, infundendo quotidie ali-

quot flores Arantior. vel Citri usq; ad perfectam depurationem, tum adde

Sacchari fini ℔.iß.

Coquatur lentissimo igne ad liquidioris syrupi consistentiam, cujus dosis est ab ʒß. ad ʒij.

Optimum est quoque hoc oxymel paulo calidius.

℞ *Cardui Sanct.*
Scordij, Ruta Capran.
Scabios.
Bugloss.
Acetos. an. M.j.
Rad. Scorzoner.
Tormentill.
Vincetoxic. an. ʒj.
Aq. Fontan. ℔.iv.

F. infusio per diem, tum adde

Mellis optimi ℔.jß.

Coquatur lento igne ad perfectam despumationem mellis, facta expressione, & diligenti colatura, adde

Aro-

Aceti optimi, in quo totum citrum radula tritum contabuerit, ac bullierit ℥x.

Coq. lento igne ad oxymelitis consistentiam.

Potest quoque acetum parari efficax, cujus cochlear j. aut alterum immitti poterit jusculis alteratis, aut cibis.

℞ *Citrum* integrum radula tritum. N. j.
Cor. Cervi præparat.
Boli Armeni lutei an. ℥ij.
Rad. bistort.
Tormentil. an. ℥j.
Sem. Card. Sancti ℥j.
Fol. Scordij P. j.

Acet. opt. per filtrum colati tantum, ut 4. dig. superemineat.

Omnia crassè trita infundantur aceto in phiala optimè clausa, & stent ad solem, vel in Hypocausto per aliquot dies agitando materiam quotidie, donec aceti color ampli⁹

mutari non videatur, tum F. colatura, & servetur usui in vase clauso.

Est hic pulvis febribus malignis utilis. ℞ *Bol. Armen. lut.*
C. C. præparat.
Rad. bistor.
Tormentil.
Sem. Card. Sancti.
Acetos.
Cortic. Citri. an. ℥j.
Camphor. ℈j.
Crocig. v. Misce. F. Pulvis subtilissimus.

Dandus ad ℥ß. ad ℥j. in jure aut bolo formato cum succo Citri, aut Limonum: immitti quoque potest panatellæ, aut ptisanæ: potest etiam cum portiuncula Tragacanthæ solutæ in aq. ros. aut suc. citri probe subigi, pulvis reformari in pilam compressam, lapidi bezoartico similem, quæ demum exiccata diutius integris viribus durabit.

Extrinsecus utile erit dictũ acetũ alte-

alteratum toto citro pro odoramentis, & Epithematibus cordis additum proportionatis aquis, vel decoctionibus.

Ajunt sulphur vivum cõtinuo in ore gestatum præservare à peste.

Venenis assumptis conferunt præter jam dicta inter calida quidem: Ammi, angelicæ utriusque radix, anthoræ radix, anisum, aristoloch. rotund. aromata omnia, brassicæ sem. carlinę radix, caryophilleus flos, cruciatæ radix. Erucæ flos, & coma, enulæ rad. Eringii rad. Gent. major. Imperat. radix. juniperi baccæ, liguistici rad. & sem. napi sem. nux juglans, polemoniæ rad. ruta hortensis, unifol. rad.

Temperatiora sunt aq. in ophite vase asservata, ebur fossile, fungus cervinus, glandium quernarum decoctum, hyperici semen, terra melitensis.

Datur dictorum pulvis ad ʒj. ex

vino generoso, vel ex aceto tepido, aut utroque mixto.

Composita variè fingi possunt pro cujuscumque arbitrio.

Celebre est, & antiquum antidotum ex nuce juglande cum tribus rutæ foliis, & carica quotidie mane sumptum.

Huc etiam facit Theriaca Diatessaron dicta, paratu facillima.

℞ *Rad. Gentian.*
Bacc. laur. (ad venena præferrem baccas junip.)
Myrrhæ.
Rad. Aristol. rot. an. ℥ij.
Mellis despumat. ℔.ij.
F. Electuarium.

Sunt quoq; ad venenorũ, & pestis præservationem celebres, & paratu facillimi pulveres: Gryscus Cæsaris, & Saxonicus, quorum descriptio extat apud Veckerum lib. 2. antidot. Spec. sect. 20. pag. 721. & 722.

Hoc acetum valet quoq; ad venena, & ad pestem. ℞

℞ *Rad. Angelicæ sylv. in umbra sic-cat.*
Gran. Iunip. an. ℥j.
Myrrhæ ℥ß.
Fol. Rutæ, P. i.
Cinamom. ℥j.

Omnia crasso modo tusa infundantur, & digerantur per octiduum in aceti optimi (rosat. est melius) ℔.jß. tum coletur, & ejus sumatur quotidie mane cochlear unum jejuno ventre.

Extrinsecus commendatur raphanus in taleolas dissectus, sub alis gestatus, procurato interea sudore.

Celebria sunt olea magni Ducis, & de Scorpionibus Matthioli, quorum loco alia minus laboriosa, & æquè valida componi poterunt.

℞ *Ol. bene maturi* (quò antiquius eò erit melius) ℔.iij.
Vini albi aromatici. ℔.jß.
Rad. gentian.
Zerumbet.

Imperat.
Vincetox.
Angel.vulg.an. ℥j.
Fol.Hyperici.
Tabac.
*Rutæ,an.*M.i.
Gran.Iuniperi ℥ß.
F.infusio S.A.in vasa optimè clauso per 4. dies, deinde bulliant ferè ad consumptionem humiditatis,F.expressio,& colat.deinde adde
*Herb.scord.*M.i.
Myrrhæ.
Aloes.
Crocian. ℥iij.
Iterum bulliant per 6. horas, F.Expressio,& Colatura.

Morsibus, ictibusq; venenatis internè quidem conveniunt alexipharmaca cardiacis mixta.

Externē v.eadem cōveniunt mixta attrahētibus venenum ad partē læsam, vulnusq; tenentia apertum, quoad virus expurgatum sit, qualia sunt

sunt omnia aperientia calidiora & rubficantia, de quibus alibi dictũ.

At propriè alexipharmaca sunt: Ammi sem. aristol. long. bdellium, Dictamus uterque, galega, gladioli radix, gallinaceorum cerebrũ, origanum, pimpinell., Saxifrag. radix, sem. personatæ, succus Tragopogi, & cujuscunque Scorzoneræ fol. & radicum succus: sumuntur hæc omnia cum vino albo.

Idem ferè præstant Alexipharmaca pro assumptis venenis proposita, illud autem universaliter est supponendum, cujuscunq; Animalis venenati carnem suo morsui, vel ictui admotam venenum extrahere: inde celebris è serpentum aquaticor. sed maximè viperarũ pulvis ad venena quorumvis serpentum, imò si famæ credendum est, ad omnia venena tum curanda, tum præservanda, adeo ut pulvere semel sumpto ad ʒß. ex vino aromatico quidam affirmẽt cor-

corpus à venenis immune per multos dies reddi.

Paratur autem hic pulvis tripliciter, &

Primò quidem:

℞ *Cor, hepar & tres priores vertebras viperæ, vel colubri*, exicca in furno, tere in pulverem adde *rad. Imperatoriæ partem æqualem*. Misc.

Secundo, caro viperina optimè lota ex vino albo relicto corde, & jecore lentè exiccetur, ut *in pulverem teri possit.*

Tertio, caro vip. exemptis interaneis, excepto corde, & jecore, incidatur, & per octiduum sale condiatur, tum includatur cribro undiq; bene munito, & subtus excitetur quotidie suffumigiũ odoratũ quater, aut quinquies, injecto ignitis carbonib⁹ pulvere ex myrrha, baccis lauri, junip. & caryophil: cumq; caro optimè redolere sentietur, includatur ollæ vitreæ ç operculo lut.

pro-

probè munitæ, & indatur furno panario, ibiq; ſtare ſinatur, donec tota carnium ſubſtantia cum oſſiculis ſuis redigi poſſit in ſubtiliſſimum pulverem, huic pulveri plus tribuũt recentiores, quam Antiqui Ther. aut Mithridatio.

Præter iſta habet rabidorum animaliũ virus certa quędam antidota, quibus per 40. dies ſumptis, vulnere interim detento aperto arcetur rabies, & aquæ timor. Sunt autem alyſſum, cancrorum fluviatilium cinis, roſæ ſylv. radix, & pimpinella communis. Dantur ſeorſim, vel mixtim à ℥i. ad ij. ex vino albo, utiliter miſcentur rad. gentian.

Galenus ſuum antidotum parat ex 1. parte thuris, partibus 5. gentianæ, & 10. cancrorum fluviatilium crematorum.

Experientia quoque probatum eſſe ajunt hunc pulverem ad ſanandum aquæ timorem, exhibitũ in vino

no à ʒß. ad ʒij. quotidie tribus horis ante cibum.

℞ *Fol.polypod.*
Rutæ.
Verben.
Salviæ angusti fol.
Plantag.
Absynth.comm.
Menthæ.
Arthemis.
Meliss.
Beton.
Hyperic.
Centaur.min. an.p.æ.

Siccentur in charta, & terantur in pulverem.

Hactenus de medicamentis oppugnantibus causam morbi principalem, à cujus ablatione morborũ naturalium curatio inchoanda est, nisi adsit aliquod aliud urgens quod trahat ad se curationẽ: illi enim statim prospiciendũ est, etiam ad tempus neglecta causa, & morbi providen-

dentia, si urgẽs nullas det inducias, & citæ mortis periculum inferat.

Urgere autem intelliguntur immediatè quidem, & per se imbecillitas spirituũ vitalium in animi deliquio, & syncope; mediatè verò, & secundariò vehemẽtissimus dolor, cõtinuæ vigiliæ, immoderatæ quæcumq; evacuationes, unde imminet spirituum dissolutio.

Atq; istis urgentibus opponuntur roborantia *spiritus*, *dolorem* sedantia, *somnum* conciliantia, *fluxus* sistentia. Si morbus, aut causa principalis ob sui vehementiam, & ægri imbecillitatem induant aliquando naturam urgentis, ut calor febris ardentis in sene, & pituitæ crassities ac lentor in febre exquisitè quotidiana, nõ alia postulant remedia, quam per se contraria, de quibus partim dictum, partim dicetur infra in censu remediorum morbos tollentium.

SYM-

SYMPTOMATUM URGENtium remedia.

SPiritus roborantia, eosdem reficiunt, vel per accidens tollendo causas, ob quas dissipantur, de quibus nō est hic sermo, vel per se, tribuendo materiam, ex qua celeriter generari possint spiritus, & calidum innatum cordis roborando.

Roboratur cor cardiacis, de quibus inter medicamenta opposita *morbo in intemperie.*

Tribuunt materiam aptam converti in spiritus, tum alimenta boni succi, & tenuis substātiæ, inter quæ præcellit vinum odoratū, tum odoramēta, quippe quæ tenues halitus spiritui affines cordi suppeditant.

In causa calida: fiant odoramenta frigida, aut temperata, qualia præbent acetum, camphora, rosæ, violæ, myrthus, cortex pomorum redolentium, & cydoniorum flavescentium. Optimum est acetum his ma-

materiis alteratū, facta per aliquot horas maceratione, vel leviſſima ebullitione, tum ad aëris alterationem mixtum aquæ cubilib⁹ inſpergendæ, tum ad odoramenta naribus admovenda.

In cauſa frigida fient odoramenta ex flor. citri, Arant. Limō. Vetonic. coronar. Jaſmin. Lil. conval. rad. Angel. Cyper. Valerian. hortēſ. fol. Calamenth. Montan. major. Meliſſ. Menth. Roſmarin. Spicæ, Lavend. Thym. cortic. Citri. bacc. Lauri, & Juniper. & quibuscunque aromatibus.

Præſtantiſſimum eſt acetum generoſum, vel vinum jam dictis alteratum.

Excellit quoq; odor carnis aſſæ caryophillis, & cinamomo perp inctæ, quemadmodum, & panis adhuc calentis, malvatico vino, vel ſimili generoſo vino reſperſi.

In eundem finem parari poterunt olea

olea ex aromatib⁹ minimè laboriosa, & satis vilia pro narium, & cordis inunctione, si cum oleo communi claro, & minimè fœcoso, atq; pulvere Cinamomi, vel Cariophyllor. fiat veluti puls liquida, quæ in vase clauso sinatur p aliquot dies in loco calido, deinde torculari exprimatur.

Dolorem sedantia sunt triplicia. Sanantia nimirum quæ causam doloris tollunt, propriè anodyna, quæ relicta causa sensum partis demulcent, & narcotica quæ sensum omnino auferunt, vel stupefacta parte, vel inducto somno.

Sanantia huc non pertinent, tam latè enim patent, quàm morbi, & eorum causæ à quibus solvi potest continuitas partis.

Propriè anodyna sunt Althæa, amigd. dulc. aq. tepida, anethũ, chamomælum recens, fænu græcum, lini semen, malva, melilotus, ovi vitellum, jus pingue.

Præ-

Præter quæ in extrinsecis conveniunt pro fomentis, animalia exenterata adhuc calentia, pulmones, & omenta animalium, hydræleum lana succida, lacovillum, & vaccinum calens, panis triticeus mediocriter coctus adhuc calens.

Pro iiunctionib. adeps suillus, gallinaceus, vitulinus, humanus, Butyrum, sevum, mucilag. sem. lini, malvar. althææ fænugræc. & olea ex dictis herbis, & seminibus per decoctionem parata.

Sed præter hæc anodyma communia, sunt quædam alia determinatis partibus dolentibus singulariter conferentia, quæ ideò specifica anodyma dici possunt.

Ad dolorem capitis ex quacumq; causa efficacissimum est hoc oleum.

℞ *Succi verben. optimè depurati* ℔.ij.

Ol. Rosar. simpl. ℔. i.]

Destilletur lento igne cinerum, liquor abstract⁹ denuo affundatur,

iterumq; destilletur, id tertiò repetatur. Miscetur enim succus oleo inseparabiliter, eoq; tepido imbuatur linteolum pro frontali & illinantur futuræ.

Ad dolorem dentium extollitur oleum destillatum per descensum è ligno buxi.

Dolori colico, certam opem adfert cranium humanum præparatũ ʒi. pondere exhibitum cum ℈i. sem. anisi *in causa frigida*, cum coriandris *in causa calida*.

Item pulvis testiculorum equi castrati ad ʒi. eadem ratione exhibitus prodest.

Ad dolorem hemorrhoidum excellit hoc oleum.

℞. *Rad. scrophular.* ʒiiij.
Chelidon. maior. ʒij.
Spongiar. cynorrhod. innascent. n. iiij.
Sem. Agni casti ʒij.
Ol. commun. ℔.ij.

Radices incidantur, reliqua rudifer

difer contundantur, & insolentur per mensem, & serventur ad usum, vel macerentur per octiduum in loco calido, deinde coquantur ad consumptionem humiditatis, & fiat expressio cum colatura.

Ad *dolorem pectoris* singulariter valet oleum è sem. lini ad ℥ij. ad iiij. bibitum.

Ad *dolores articulorum* expertum est hoc fomentum.

R. *Fol. maluæ.*
Ebuli.
Plantag an. M. j.
Aq. fabrorum ℔. ij.

Bulliant ad consumptionem tertiæ partis, facta expressione, & colatura dissolvatur salis nitri per sulphur. purgati [appellant salem punellæ] ℥ß. & linteum imbutum calide applicetur parti.

Narcotica, eadē parti admota, stupefaciūt, assūpta vero, vel odorata, aut capiti administrata somnū cōci-

liant: Differunt qualitatis intensione à proprie somniferis, quia hæc mediocri frigiditate, & humiditate somnum conciliant. Illa utriusque qualitatis excessu soporē inferunt, & si largius usurpentur, etiam earum, & Apoplexiam.

Est tamen quidam narcoticorum gradus; alia sunt mitiora, quorum usus non est tàm periculosus; alia valentiora quibus non est utendū, *nisi dolore, aut vigilia, valde urgente.*

Mitioria, sunt, intrinsecus quidē sem. papau. alb. ad 3j. circiter, extrinsecus verò in lotionibus, fol. solani hortensis, & papaveris sativi.

Valentiora sunt cicuta, hyoscyamus albus, mandragora, opiū, stramonium rorundum; hyoscyamo nigro, & stramonio longo satius est abstinere ob insignem noxam, quā viscetibus afferunt.

Ex aliis fiunt odoramenta, & lotiones pedum, & capitis; soli opio, & stra-

& stramonio rotundo internus usus concedatur.

Datur stramonii semen in substātia à ℈ß. ad ℈j. circiter, infusum à ℈j. ad ℈ij. corrigitur vino generoso.

Opium datur à gr. ij. ad v. correctum croco, aut pipere, & vel in pillulam redactum, vel infusum vino generoso; orientale opium nostrate paulò validius est, sed quia exoticum opium sæpe adulteratum ad nos convehitur, & aliquando magno pretio venditur; satius est purum ex nostra te papavere, præparare hac Quercetani ratione. Sume quamlibet quantitatem capitū papaveris hortensis rubeum florem gerentis, quando iam primi flores explicati apparent, tunde in mortario lapideo cum pistillo ligneo, materiam pone in vitro capaci, & tantum vini albi generosi affunde, [arbitror aceto sumpto opus meli⁹ processurū] donec materia optimè irrigata sit, & vinum buobus transversis

versis digitis superemineat, digerantur per quindecim dies circiter, cumque liquor bescere incipiet intense, includatur materia lineo sacculo, & fortiter exprimatur, quod expressum est, lento igne divaporet ad melleam consistentiam, quam adhuc calentem conice in aquam frigidam, ut materia coaguletur, tunc exime, & humiditatem absterge.

Cæterum ex compositis Narcoticis duo sunt præstantissima, & præ aliis officinalibus paratu facillima.

Primum est Guainerii pro usu externo.

R. *Opii.*
Succ. Hyosciami.
Mandragor.
Maiorum immaturorum.
Lactucæ.
Hederæ arboreæ an. ℥j.

Dissolue opium succis, eo dissoluto imbue spongiam, & ad solem per xv. dies exsicca, cum uti voles, met-

merge spongiam in aqua tepida, & naribus admove; retinet hæc spongia vim suam per aliquot annos.

Alterum inserviet visibus internis, laudanum nimirum, quod bidui spacio pararipotest hac ratione.

R. *Extract. croci* ℈j.
Extr. spec. Diamoschi. ℈ij.
Extr. opii præparat. ℈iv.

Misc. & cum *guttis ij. ol. caryophil.* destillat. malaxa.

Crocus, & species extrahuntur aqua vitæ, opiũ v. aceto destillato.

Præparatur autem opium, si subtiliter concisum lento calore exiccetur, donec fumum amplius non emittat: & digitis tritum impulverum redigatur. Huius dosis est à gr. jß. circiter usque ad gr. v. dolores soluit, vigilias pertinaces sistit, & immoderatos acresq; fluxus compescit.

Somnum concilliant etiam Narcotica, & quidem tantò potentius; quã verè somnifera, quãto validio-

res causas requirit sopor, quã somnus, quo fit, ut verè somniferis non conferentibus tandem veniendum sit ad narcotica, seu soporifera iam dicta.

Vere autem somnifera sunt Amygd. dulc. & earum emulsio, lac quodq; lactuca sativa, muscus arboreus recens, nymphæa, sempervivum maius, viola purpurea, umbilicus vener. & vinum oligophorum bene lymphatum, horum administratio varia est.

Jura carnium alterantur lactuca, & violis.

Datur emulsio amygd. dulc. ex decoctione lactucæ editur lactuca cocta condita aciditate arantii, citri, aut limonum.

Ex herbis fiunt decoctiones pro capitis, & pedum lotione.

Parari potest pro illitione narium, & temporum, extemporaneum oleum hac ratione.

R. *Lactuc.*

Nym-

Nymphæ.
Semperuivi.
Solani hortens. an. M.i.
Ol. Commun. ℥viij.

Coq. lento igne ad humiditatis consumptionem, exprime, & cola.

Eundem habet usum oleum violarum, & nenupharin. officinar.

Fluxum sistentia illa omnia sunt, quæ materiam pravo motu agitatã sedant repellendo, revellendo, intercipiendo, viasque adstringendo, ideo non sunt hoc in loco denuo recensenda.

Quæ nonnullis fluxibus magis appropriata esse videntur, peculiariter adnotabuntur in censu astringentium.

Restat ergo enumeratio medicamentorum pellentium morbos, quorum usus est maxime post causæ, & urgentis ablationem; morborum autem tria summa genera statuuntur, intemperies, mala conformatio, & soluta unitas.

ALTERANTIA

morbosam intemperiem totius, & partium.

QVamvis morbosę intemperies sint octo, quatuor simplices, totidem compositæ, non est tamen necessarium octo alterantium ordines constituere. Primò, quia intemperies compositę curantur simplicibus alterantibus mixtis, atque compositam qualitatem, prout exigit necessitas, producentibus; deindè, quia inter qualitates simplices, humiditas, & siccitas tolluntur fere medicamentis calidis, aut frigidis: humiditas enim excremẽtia curatur tum calidis rarefacientibus, & absumentibꝰ tum frigidis exprimentibꝰ tum aridis utriusque generis cohibentibus humiditatẽ.

At morbosa siccitas, cum supponat defectum nativæ humiditatis, quæ non restituitur medicamento, sed alimento, tollitur potius congruo victu, & aliquo calore in exiccata

cata parte excitato, cuius beneficio sanguis eò attrahatur, & facilius coquatur, itaque satis erit proponere medicamenta calefacientia partes refrigeratas, & refrigerantia calefactas. Siquidem utriſq; simul mixtis facile erit medicamentū in activis temperatum conficere, in passivis autem humidum, aut siccum, prout necessitas, & tollenda intemperies postulare videbitur.

Alterantium porrò medicamentorum cum duplex sit genus, alia sint determinata, à quibus certæ partes magis affici videntur : alia sint indeterminata, quę in totū corpus indifferenter agunt, sufficiet proponere tantum alterantia determinata, quoniam totius corporis intemperies alicuius præcipuæ partis noxam sequitur, cuius remedia, & toti corpori opem ferunt.

Alterantia determinata sumunt nomen à parte, quam iuvant, unde cephalica à cap. ab oculis ophthalmica,

mica, ab articulis Arthritica, à nervis neurotica, à partibus ſpiritalib⁹ pneumonica, à corde cardiaca, à ventriculo ſtomachica, à Iecore hepatica à ſplene ſplenetica, á Renib. Nephrica, ab utero hyſterica denominantur.

ALTERANTIA

Caput.

CEphalica calida quæque refrigerato capiti conveniunt, præcipua, & magis obvia ſunt: Abrotanum, betonica, buxi lignum, calamenth. chamædrys, hyſſopus, laurifolia, & baccæ, lavendula, maiorana, pæonia, roſmarinus, ruta hortenſ. & captaria, ſalvia, ſatureia, ſerpillum, ſtæchas, thymus, viſcus quernus, valerianæ, ſylveſtris radix, aquæ thermales ſulphuratæ debito modo hauſtæ.

Ex aliis parentur decocta, electuaria, & vina medicata loco confectionum, & conſervarum officinalium.

Ex-

Exemplum decocti.

℞ Limatur. ligni buxi ℥ij.
Visci quercini subtiliter incisi. ℥j.
Aq. communis ℔.vj.

F. Infusio per horas xv. postea adde.

Fol. Betonic.
Calamenti.
Maioran.
Salviæ. an. M.i.
Rad. pæonie. ℥ß.
Bac. Lauri ʒij.

F. decoctio lento igne ad consumptionem tertiæ partis & F. Colatura, cuius exhibeatur ℔. ß. pro vice per aliquot dies.

Antiqui in curanda intemperie non admodum recenti, quadraginta circiter dierum spatio sua medicamenta administrabant, quorum exemplo nunc ut plurimum insistimus.

Exemplum Electuarii.

℞ Beton.
Calamenth.

Cha-

Chamædry.
Maioran.
Roſmarin.
Salviæ an. M.i.
Saturei.
Hyſſop. an. p.i.
Bac. Lauri.
Thuris an. ʒ ij.
Mellis deſpumat. quadruplum.
Miſc. F. Electuarium.

Vina medicata magis commendantur ex infuſione roriſmarin., & ſalviæ.

Extrinſecus probantur lotiones, & ſtillicidia, vel aquar. thermalium ſulphuratarum vel decoctiones dictarum herbarum, præſertim paratæ ex lixivio, cui addi poſſunt arundinis, folia aſati, & hederæ muralis.

Ex iiſdem herbis addita portione Thuris fiunt pulveres inſpergendi ſuturis.

Vtile eſt quoque ſuffumigium Thymi, & maior, tubulo exceptũ,

eo

eo modo, quo tabaci fumus excipitur.

Deniq; fiunt olea per decoctionem dictarum herbarum pro temporum, narium, & futurarum illitione.

Refrigerant calefactum cerasa nigra, cranium humanum ustum, hordeum, liguſtri flos portulaca, roſæ, ſalicis flores, vitis capreoli, & omnia ſomnum conciliantia, ex quibus parabuntur *decoctiones.*

Excellit potus recte inſtitutus aquæ Thermalis ferratæ.

Externe fiunt frontalia ex poſca, maxime alterata, fol. ſalicis, myrthi, lactucæ, violar. & ſolani.

Fiunt capitis irrigationes ex eodem decocto, vel lacte tepido.

Fiunt oxyrhodina ex ol. roſ. & viol. cum quarta parte aceti.

Fiunt odoramenta ex roſis & violis.

Vtiliſſimum eſt acetum his floribus alteratũ, addito tantillo camphoræ. Lau-

Laudatur quoque oleum per insolationem factum ex floribus salicis pro narium, & temporum illitione.

OCULOS ALTERANTIA.

OCulis refrigeratis cum, vel sine materiæ crassæ affluxu, conveniunt. Chelidonium maius, Euphrasia, Feniculum, Ruta hortensis, Verbenaca. Ex quibus fiunt decoctiones, & Electuaria prousib. internis.

Commendatur usus vini Euphrasiati.

Extrinsecus fiant fomenta ex iisdem decoctionibus, quibus utiliter miscebuntur anagallis, & fœnum græcum probe lotum, nec non momentum croci, aut aquæ vitæ.

Confert fotus aquæ marinæ cum tantillo croci.

Præstantissimum est sequens Collyrium ad oculos corroborandos, omnemq; nubeculam, & suffusionem non confirmatam discutiendam.

℞ *Vini Maluat.* ℔.iij.

Gran.

Gran. Tritici.
Sem. fœnicul. an. M. ß.
Cinam. elect. confracti. ʒ ij.
Cariophyl. contus. ∂ iiij.
Fol. Rutæ.
Cimar. Lauri. P. ß.

F. infusio per diem, deindè coquantur lentissimo igne ad consumptionem quintæ partis, F. Colatura adde.

Tutiæ præparatæ. ʒ ij.

Misce, & cum uti volens decoctum agita, & turba: Si ad nubeculam, & suffusionem paretur, servetur in æneo vase ad usum, alias reponatur in vitreo.

Calefactis convenient, Cephalica pro usibus internis.

Extrinsecus confert fomentum, & frequens instillatio lactis tepidi, quo thus ignitum restinctum sit.

Si fluxio sit valde acris, addatur quarta pars aquæ albuminis ovi.

Vrgente dolore, & acerrima fluxione instilletur tantillũ emulsio. sem. papau. albi. Iu-

Iuvat quoque cataplasma ex pomo dulci in facie cocto, & contuso.

Valet quoque fomentum aquæ fluvialis tepidæ, in quathus aliquoties extinctum sit.

ALTERANTIA

Articulos.

Articulis refrigeratis conveniunt chamæpytis, seu Iua Arthritica, helichrysum, Iuniperi lignum, & baccæ, lignum lentiscinum, resina quæcunq; maxime Therebinthina, salvia, & similacis asperæ radix.

Inter compósita duo excellunt. *Primũ* est usus Therebintin. per xv. dies circiter. Datur sola, vel ante conveniens decoctum hac ratione.

R. *Therebinth.* ʒij.
Pul. iuæ arthrit. ʒß.
M.F.B. pro una vice.

Si corpus sit humidius, utiliter miscetur ƷB. Trocis. de Vipera, vel pulu. Viper. descripti.

Alterum est decoctum ligni lentiscini

tiscini sumendum per plures dies cum tenui victu, prout necessitas postulare videbitur. Exempli gratia.

Ligni lentiscin. ℥ij.
Iunper. vel *visci quercini* ℥j.
Aq. comm. ℔.vj.

Materia incisa infundatur per diem naturalem, deinde addantur.

Fol. Beton.
Iuæ.
Rosmarin. an. M.i.

Bullant lento igne ad consumptionem tert. partis Col. dentur ℥vij. pro una vice.

Extrinsecus conveniunt balnea, & luta therm. sulphur. & alumino.

Præterea fomenta ex vino rubro generoso alterata Iua, salvia, ebulo, rosmarino, tabaco, & myrthi foliis addito pauxillo salis, & aluminis.

Item Illitiones ex adipe vulpino.

Tan-

Tandem ad articulorum corroborationem conferunt Vinacea calida, & frictio cum oleo antiquo, & quarta parte salis.

Turcæ magna cum utilitate urunt articulos, sed igne sirani, neq; admodum molesto, imbuunt enim linteolum lineum aqua ardente, tum accensum impingunt in articulum, sicque restinguunt.

Compertum est dolores articulorum usu sequentis aquæ per integrum annum, etiam antiquos, vel omninò sanari, vel longe mitiores, & infrequentiores reddi.

℞ *Summit. & flor. Rosmarin. partes ij*
Aq. vitæ rectificat. par. iij.

F. infusio in vase optimè clauso per horas quinquaginta, tum destilletur B. M. vase ex omni parte benè munito, huius aquæ ʒi. sumatur singulis septimanis semel, & quotidie mane lavetur cum ea facies, & articulus læsus.

Calefactis articulis conferunt interne

nè quidē ossa humana cremata ad ʒi. circiter, aliis refrigerātib. mixta.

Item, decoctio ligni lentiscini additis rosis, & myrthi foliis.

Externe convenit posca, maxime cum aceto rosaceo, aqua pluvialis chalybeata, vel aqua fabrorum alterata, rosis, pampinis, & myrtho, cui utiler additur portiuncula lapidis prunellæ.

Pro illitione valet ol. ros. myrthin. & ranarum.

Parabuntur ex tempore per decoctionem dictarum materiarum remedia.

Tale quoq; linimentū erit utilissimum ad leniendum dolorem ex calida, & acri fluxione.

R. *Ol. Ros.*
Myrthin. an. ʒi.
Mucilag. sem. Cytonior.
Psill. i.
Maluar. an. ʒij.
Ceræ, aq. fontan. sæpius lota ʒiß.
Misc. F. Linimentum.

ALTE-

ALTERANTIA

Nervos.

Nervis refrigeratis praecipue conveniunt chamædrys, castoreum, cerebrum leporis assum, centaur. ma. rad. hyperic. Lavendul. myrrha, nuclei pini peucedanum, primula veris, Spica Italica, salvia, & trifolium bituminoum.

Ex his componuntur aliqua efficacia, maxime autem decoctum, quale est arthriticum descriptum, *addita chamedrii, & primula veris.*

Bolus ex therebinthina cum ℥i. circiter Cerebri leporis assi, & ℈i. circiter castorei.

Extrinsecus singularem usum habent balnea, & luta thermalia, sulphurea, & bituminosa.

Item fomenta ex vino generoso dictis herbis alterato, addita portione aquæ ardentis.

Pro unctione fiunt olea per decoctionem herbarum dictarum cum quibus aliqua lumbricorum terre-

terrestrium Vino ablutorum quantitas bullierit.

Duo præstantissima parantur linimenta *pro nervorum frigidis affectibus*, quorum alterum Spasmo ex repletione, alterum paralysi, stupori, ac tremori utilissimum est.

Primum paratur ex stellionibus hac ratione.

R. *Stelliones.* Num. V. vel eorum loco *lacertas virides* totidem.

Infunde vivos in *Oleo Chamomel.* ℥viij. cumq; interierint bulliant in eodem usq; ad colliquationem carnis, mox fiat excretio, cui adde tertiam partem liquaminis anseris assati, repleti thure, lardo, myrrha, & portione croci.

Alterum paratur ex anseris pinguedine hac ratione.

R. *Fol. chamædrios.*
Iuæ.
Salviæ.
Primul. veris.

Lavend.

Lauend.
Hypericon. an. M. j.
Cr. Iuniper. ℥ß.
Myrrhæ.
Thuris an. ʒiij.
Caſtorei. ℥iß.
Croci ʒß.

Herbæ irrigentur aqua Vitæ, deinde tundantur, & cum reliquis fiat farctura, qua impleatur anſer; Cinamomi fruſtulis perpungend⁹, deinde in veru aſſandus, collige colliquamen, cumq; nihil amplius diffluet, diſſecetur anſer, & buliat in Vino albo per horam, ſupernatantem pinguedinem collige, & miſce priori liquamini.

Sunt qui oleo per arenam ex lubricis terreſtribus Vino generoſo ablutis deſtillato tantum tribuunt, ut eo ſolo paralyſin, curari poſſe affirment.

Calefactis nervis eadem conferent, quæ pro articulis deſcripta ſunt, exceptis crematis oſſibus.

ALTE-

ALTERANTIA

Partes spiritales.

PNeumonica tum calida, tum frigida, quæ materiam viis spiritalibus inhærentem educunt, jam proposita sunt in censu vacuantium pectus per sputum: eadem corrigendis quoque pulmonum intemperantiis aptari possunt, sed præter illa peculiariter valent ad calefaciendum, & siccandum pectus.

Aqua Thermalis sulphurea pota.

Caricæ aliquot aq. vitæ maceratæ, donec turgeant, sumptæ jejuno ventre, & in ingressu lecti.

Decoctum enulæ, farfaræ, hyssopi, prassii, pulmonariæ, saturelæ, Thymi; evadet decoctum præstantius, si fiat cum gallo veteri dictis herbis infarcto; iisdem opportune alterabitur mulsa plenior pro ordinario potu, aut Oxymeli inde componetur quotidie manè ad ℥ij. exhibendum.

Est quoq; præstans vinum mulsum, præsertim si hyssopo aut thymo alteratur.

Omnibus Præcellit sulphuris usus, & terebinthinæ, vel alicuius resinæ, maximè Laricinæ, & Abietinę.

Dabitur quotidie ʒj. sulphuris, maximè præparati, & in pollinem redacti cum ovo sorbili.

Resina datur ad ʒij. quæ præstans erit, si calida bibatur dissoluta ʒij. Oxymelitis.

Externe *conferunt balnea* sulphurea, mora propè sulphureas thermas in aere vaporibus calidis, & potestate siccantibus pleno.

Vel fiant cataplasmata pectori ex farina meliloti, fænugræci, pulu. hyssop, calamenti, & portione sulphuris cum melle, vino albo, & oleo de seminibus lini.

Calefacto pectori convenient præter proposita, ad expectorandum sputum salsum, potus aq. thermal. tum acidularum, tum ferrearum, & lybeatarum. Vsus

Vſus Lactis, niſi obſtet deſtillatio, & decoctio, vel ligni ſantalor. rub. vel ligni Rhodii, maximè radicis ſumenda per plures dies cum victu tenui ad frigidum vergente, præcipuè ex hordeo, & ſeminibus frigidis maioribus.

Decoctia tàlis eſſe poterit.

℞ *Santal.rubr. vel ligni Rhodii minutim inciſi* ℥j.
Rad.Cichorei.
Hordei.an ℥ß.
Aq.fontan.Chalybeat.vel pluv. ℔.ij.

F. infuſio per horas xv. tum bulliant ad conſumptionem medietatis, & F. Colatura pro duabus vicibus.

Celebratur etiam frequens uſus conſervæ roſar. tum in ingreſſu lecti, tum mane jejuno ventre, præſertim ſi immitantur aliquot guttulæ Spiritus acidi ſulphuris.

Pro Externa refrigeratione ſufficient illitiones ex oleo, vel unguento violaceo paratæ.

ALTERANTIA Cor.

CArdiaca sunt multa quidem ex alexipharmacis venenorum assumptorum, omnia v. proposita pro alexipharmacis febrium malignarum, & pestis, sed præter illa convenient quoque cordi refrigerato aromata cuiuscunq; generis, aurantior. cortex, angelica odorata, calendula, calament. mont. caryophylleus flos, cardiaca herba caryophyllata, Flos lil. convall. hedera terrestis, Lavendula, melissa, menta, ocymum quodcunque, petasitis radix, rosmarin. spica Celtica, & Italica, Vlmaria.

Ex his confici poterunt syrupi, Decocta, Electuaria, item pulueres, ac species inspergendæ cibis.

Optima erunt ad hoc opus composita jam descripta pro venenis assumptis, & in corpore natis, febremque malignam inferentibus.

Item

Item calida refitientia ſpiritus etiam propoſita.

Poterit quoque parari vinum medicatum, quod per ſe cordi eſt amicum. Exempli gratia.

℞ *Calamenth. montan.*
Card. Sancti.
Scord j.
Rutæ caprariæ.
Lavendul.
Melliſſ.
Roſmar. an. M. *j.*
Rad. Caryophyllatæ.
Dictamni, alb.
Imperator.
Cortic. Arantior. an. ℥j.
Myrrhæ.
Cinamom.
Caryophyllor. an. ℥ß.
Croci ℥j.

Terantur ſeorſim in pulverem, tùm indantur manicæ Hippocratis, & per pulverem trajiciantur vini albi aromatici ℔. vj. quater, aut quinquies, cuius Vini dari pote-

runt ℥ij. circiter pro vice, si traiiciatur eo modo, aqua Vitæ, erit medicamentum efficacius, & dari poterit ad cochlear. unum.

Pro externis remediis parentur sacculi ex dictis herbis, & aromatibus ad regionem cordis gestandi.

Item fomenta ex vino aromatico iisdem rebus alterato addita semper portione croci ad maiorem penetrationem.

Deniq; illitiones fiant oleis eorundem simplicium decoctione paratis, aut oleis aromaticis ea ratione paratis, quæ exposita est titulo reficientium spiritus.

Cordi calefacto conveniunt temperatiora pro venenatis febribus proposita, & præterea ebur, flos salicis, mater perlarum præparata, myrthus, nymphæa, os de corde cerui, poma redolentia, rosæ, santala, violæ.

Ex his habes aliqua composita inter alexipharmaca febrium pestilentium. Vti-

Vtiliſſimus erit quoq; uſus conſervæ violar, aut roſar. cum ℈j. ſalis ex matre perlarum pro vice.

Fiet autem ſal, ſi matrem perlarum uſtam diſſoluas aqua borag. calida, addita portione aceti roſ. tum deſtilles per filtrum, ac tandē coagules, facta totius humilitatis divaporatione.

Externe ſiunt Epithemata ex aq. flor. ſalicis, roſar. viol. nymph. addito ſucco citri, aut limonum, aut aceti roſ. ad penetrationem, ac ſi præſto ſit camphora, imponantur quoq; v. aut vj. grana; loco aquarum ſumi poterunt decoctiones borrag. biſtort. Cyani, nymph. & viol. cum iisdem ſuccis, & aceto roſ.

ALTERANTIA

Ventriculum.

Stomachica calida præcipua, & magis obvia ſunt abſynth. cuiuſcunque generis, ſed præcipue commune, & pōticū, arantiorū, & citri cortex, ac ſem, amygd. amar. gentiana, maior.

menta, origanum, rosmar. & aromata omnia inter quæ præstat redoria, zinpiber, Galanquia piper.

Ex compositis paratu facilibus commendatur vinum absinthite. oxymel absynthite.

Aqua vitæ alterata maceratione absinthii in umbra siccati additis, si lubet, aromatibus.

Vinum generosum (quale fiet traiectum per aromata, sem. odorata, aut dicta simplicia trita) ad ℥ij. per multos dies jejuno ventre sumptum cum gr. j. aut ij. piperis. crasse triti.

Confert etiam potus aquar. therm. sulphur. & salitarum. utilissimum erit tale oxymel si eius quotidie accipiatur cochlear. unum, aut alterum.

℞ *Herb. Absinth.*
Calament.
Mentæ.
Rosmar. an. M. i.
Cortic. arantior, aut. Citri. ℥j.
sem.

sem. Anis.
Cinamom. an. ʒj.
Mellis ℔. j.
Vini albi generos. ℔. iij.

Coquantur lento igne ad mellis despumationem, colaturæ adde.

Aceti optimi ℔. ß.

Coq. ad syrupi consistentiam, cum refrixerit, injice zinziberis subtiliter pulverisati ʒij.

Prodest quoque mirum in modum quotidie sumere ex ovo sorbili ʒj. circiter, mastich. pulveris. cum momento zinziberis, aut zedoariæ.

Extrinsecus conferent thermarum sulphur. stillicidia, quæ deficientibus aquis parari poterunt ex vino, præsertim rubro generoso, alterato prædictis herbis, unde etiam fient fomenta.

Vulgus parare solet optima fomenta ex absynthio super regulam calefacto, & conspersо vino malvatico.

Item ex pane tosto, tum conspersovino maluatico, & pulveribus aromaticis, præcipue Caryophyllis, galanga, & mastiche.

Parentur olea pro illitione ex unius, aut plurium simplicium decoctione. v. gr.

℞ *Absint. commun.*
Mentæ.
Origan.
Calament.
Lavendul an. M. j.
Summitat. rosmarin. M. ß.
Ol. commun.
Vini Aromat. an. lb. j.

Coquantur lento igne ad consumptionem humiditatis, & F. expressio cum colatura, ad usum.

Calefacto Ventriculo conferent: aciditas arantior. agrestæ, berberis, cerasa acida, corni fructus, cotonea mala, granator. acidor. succus, hypocistis, labruscæ flos, mala austera, mora immatura, pyra austera, pruna sylvestria, & eorum succus, ribes

ribes vulgaris, roſæ, ſorbæ, ſuccus Rhois, ſeu ſumach, trifolium acetoſum, uva criſpa, vinum auſterum bene lymphatum.

Dari poterunt dictorũ fructuũ, & herbarum ſucci, vel decoctiones cum emulſione ſem. frigid. maior.

Lactis quoq; aſinini, aut caprilli aliquo ex dictis ſuccis temperati, uſus eſt opportunus.

Quemadmodum & potus thermarum, acidularum aut ferrearum quales ſunt in Italia Chaldarianæ, Lucenſes Noceranæ, & B.V. montis Orthonis.

Extrinſecus fiant fomenta, & epithemata ex decoctione roſar. myrthi, balauſtior, cydoniorum, malicor. hypocyſtio. labruſca, addita portione aceti roſ.

Vtiliſſimum eſt Emplaſtrum ex pulpa Cydonii cocti in aqua pluviali, vel chalybeata reſperſum momento pulveris maſtiches, & roſ. rubr. loco cydoniorum ſumi poterunt mala auſtera. Illi-

Illitiones fient ex oleo cum dictis herbis decocto ad humiditatis consumptionem addita semper portiuncula ceræ aliquoties posca ablutæ.

Exiccato ventriculo cum defectu nativæ caliditatis nihil præstantius lacte per multos dies 5. aut 6. horis circiter ante cibum, sumendo sensim ab ℥iv. incipiendo usque ad ℥vij. circiter, recens mulctum, & cum tertia parte mellis circiter, ne acesat.

Extrinsecus juvabunt fomenta, ex oleis præcipue, aut non valde calefacientibus, aut exceptis lana succida.

Conferent etiam picationes factæ cum pice liquata momento olei absinthii, & ad partem relictæ usque ad modicum illius ruborem interim noctu fovendus est ventriculus, vel admoto catello, aut manu propria, vel puello impubere.

ALTE-

ALTERANTIA

Intestina.

INtestinis eadem ferè conveniunt, quæ ventriculo ob partium connexum, & eiusdem substantiæ proprietatem.

Refrigeratis tamen, ut in colico affectu sæpe contingit, peculiariter conveniunt cuminum, lauri baccæ, ruta, & crantior. cortex. Dari poterit eorum *puluis* ad ʒj. ex vino aromatico, vel emulsione sem. citri, aut arant.

Commendatissimum est vinum medicatum diuturna maceratione cortic. Arantior. ad doloris colici curationem, & præservationem, si quotidie usurpetur.

Ad idem efficacissima est Theriaca diatessaron descripta inter alexipharmaca exhibita ad ʒj. per se, vel cum vino aromatico.

Hæc eadem Clysteribus infundi possunt quacunque forma, quibus

bus utiliſſime adduntur ol. nucum, colocynthidis decoct. & therebinthina, vel reſina abietina, aut laricina, diſſoluta cum oleo.

Exempli gratia.

℞ Decoct. chamomeli.
Fol. Lauri.
Colocynth. in petia ligata ℔ j.
Ol. Laurin. vel ol. nucum. ℥iij.
Mellas crudi.
Therebinth. an ℥ij.
Salis comm. ℥ij. Miſc. F.
Clyſter. ſecund. artem.

Extrinſecus apprime conveniunt illitiones ex oleo laurino, & rutaceo, nec non luta thermarum ſulphurearum.

Calefactis inteſtinis utilia ſunt omnia refrigerantia ſtomachum, & hepar, ſed prlmas tenent atque acidulæ, & ferratæ thermales, potæ jejuno ventre.

Lac clyſteribus additum, & medii abdominis irrigatio frequens, poſca ſubfrigida, quo remedio dolores

lores intestinorum à tenui, & mordaciſſima bile facile, & citò mitigantur.

IECUR ALTERANTIA.

Iecori refrigerato conveniunt. Abſinthium, agrimon. chamædrys, gentiana quæcumque lavendula, Iuniperi baccæ, & lignum, polium, ſpica Celtica, & Italica; quibus adde aromata omnia, & diuretica calidiora.

Inter compoſita maxime probantur vina generoſa medicata abſinthio, & aromatibus, qualia propoſita ſunt pro ventriculo.

Optimum eſt quoq; ligni juniperi decoctum addita coma abſinthii, quod gratius evadet addita portione mellis optimi deſpumati, præſertim ſi coquatur cum vino albo generoſo in iulepi conſiſtentiam, qua ratione fieri poterunt ex aromatib. & diureticis calidis varia decocta, addito ſemper abſinthio.

Exter-

Externè conveniens fomenta ex Vino aromatico dictis materiis alterato.

Item luta thermarum sulphuratarum.

Illitiones oleo ex dictis simplicibus per decoctionem compositio, quale descriptum est pro ventriculo.

Denique sacculi ex iisdem materiis rariori linteo inclusis, superiecoris regionem gestàti.

Calefacto verò icori maximè conferunt inter simplicia. Acetos. cichor. cucurbitæ pulpa, & sem. citrulli pulpa, & semen, Endivia, epatica, hieracium, hordeum, lapathum quodcunq; lactuca, lac (si absint obstructiones, & febris) maximè acetosum, melonum pulpa, & sem. portulaca, scariola, sonchus, Taraxacon, trifolium acetosum, serum lactis solum, vel cum emulsione sem. frigidor. maior.

Ex herbis fiunt decoctiones in aqua

aqua, vel exprimuntur succi, qui reservantur ad hyemem tùm depurati, tùm condensati, illi ab ℥j. ad ij: misc. juri carnis hyberno tempore, hi verò à ℥i. ad ℥ij. dantur, & formantur in bolos vel dissolvuntur.

Comeduntur herbæ quoque olerum more elixæ in aqua, aut jure carnis.

Ex hordeo fit ptisana, quæ gratior redditur dealbata emulsione sem. melonum, aut cucurbitæ, cuius usus utilis est quoque in panatellis.

His omnibus addantur aquæ naturales, vel acidulæ, vel ferratæ recensitæ pro temperando ardore ventriculi, illarum enim congruo potu nihil est præstantius ad jecoris refrigerationem.

Extrinsecus conveniunt Epithemata ex succis, & decoctione potissimum cichorei, & sonchi cum octava parte aceti ros. vel aceti vulgaris,

garis, in quo tantillum absinthii cum rosis bullierit.

Ex Violis quoq; & rosis parabitur oleum pro illitione, quod etiam efficax fuerit factum per decoctionem herbar. propositarum, cum oleo commuui ad consumptionem humiditatis.

Sed omnibus remediis præstat balneum aquæ dulcis toti corpori administratum, post debitas evacuationes, nisi febris obstet.

LIENEM ALTERANTIA.

Leni *refrigerato peculiariter accommodantur* agni casti semen, borrago, buglos.cappar. radicum cortex, ceterach, cuscuta, filicis radix, fraxini cortex, & sem. fumaria, hederæ muralis baccæ, bene maturæ, lingua ceruina, lupuli flos, & radix, osmundæ radix, tamariscus, tenuerium, thymus. Horum pulveres bibantur ad 3j. per 40. dies ex vino absinthite chalybeato, aut aq. fabrorum.

Ex

Ex his componi possunt varia, extemporanea, decocta, vina medicata, & Electuaria.

Excellunt decocta ligni fraxini, tamarisci, teucrii montani, & chamædryos, præsertim restincta chalybe novo, vel parata ex aqua fabrorum clarificata.

Sunt qui ex aceto, maximè passulato, hæc decocta parant ad minuendos extuberantes lienes; si acetū scyllitic ū sit præ manib. utiliter miscebitur decoctis ad semicochlear.

Vina paranturmaceratione dictarū materiarū, fiuntq; præstantiora addito chalybe præparato cū cono sulphur. quæ præparatio fieri potest ex tempore. Exempli gratia:

℞ *Fol. Chamedrios.*
Cuscut.
Cetrach.
Fumar.
Bulgos. an. M. j.
Sem. fraxini.
Bac. hederæ mural. an. ʒij.

Thy-

Thymi.
Absinthii. an. p. i.
Chalybis praparati. ℥i.
Vini albi generosi. ℔. iij.

F. Infusio ad Solem, vel in loco calido per octiduum, agitando quotidiè materiam semel, atque iterum. Denique vinum percolatum sumatur quotidiè ad ℥iiij. per multos dies, quatuor horis ante cibum, & ante opportunum excitium.

Electuaria fient ex iisdem rebus, addito chalybe præparato, vel Ammoniac. & quadruplo mellis despumati.

Sunt qui baccis hederæ in pulverem redactis, & vel commixtis melli ad consistentiam electuarii, vel bibitis ex vino, aut iure Cicerum ad ℥i per quadraginta dies miram tribuunt efficaciam.

Extrinsecus conveniunt fomenta ex decoctione herbar. emollientium, addita radice bryoniæ, & cycla-

cyclaminis, foliis hederæ, tabaci, ebuli, & absinth. ad part. corroborationem, nec non portione vini albi, & aceti sub finem decoctionis ad maiorem penetrationem.

Vtilis est huius decoctionis extincto in molari, aut pyrite lapide fumus exceptus.

Præstantissima quoque sunt fomenta ex filo cannabino cocto in lixivio forti, & calido madidoque admoto parti. *Insuper ex lutis* thermalib. bituminosis xx. aut dierum spati usurpatis.

A fomento ungatur pars oleis ex tempore factis, coquendo simul, vel seorsim, cyclamen, bryoniam cappares, flores genistæ, tabacum, fol. hederæ, colocynt. ex oleo communi cum vino albo, & aceto ad humiditatis consumptionem, addendo absinthium vel amygd. amar. ad tuendum robur partis.

Post convenientem usum fotum, & illitionum applicetur parti cera-

ceratum, uti est vulgare ex Ammoniaco dissoluto ex aceto scyllitico, vel paretur similis facultatis aliquod ex dictorum simplicium pulveribus, addito mométo olei commemorati, & sufficienti quantitate resinæ pini, vel picis albæ, & ceræ novæ.

Laudatur quoq; propolis melle adhuc turgida per se contusa ad Emplastri formam addito tantillo mastiches ad partis robur.

Horum loco conferet sacculus ex æquis portionibus radic. cucumer. sylvest. pulpæ Colocynth. & absinth. super lienem gestatus.

Calefactum lienem refrigerant eadem, quæ pro hepate sunt proposita, sed addenda sunt quædam attenuantia temperata, ob succi, quo nutritur lien, crassitiem.

Huiusmodi sunt fragaria, capil.♀ lupuli, asparagi, trichomanes, acetum, aqua fabrorum clarificata, quibus alterentur decocta, fomenta, epi-

ra, epithemata, non negligendo in externis remediis aliquid absynt. ad part. robur conservandum.

RENES, ET VESICAM

Alterantia.

RE*nibus, & vesicæ*, eadem conveniunt propter operis communionem, partiumq; connexum.

Refrigeratis ergo prosunt omnia diuretica calida suo loco proposita.

Item betonica, chamomelum, cyperi longi radix addita decoctionibus, & electuar.

Sed præstantiora censentur ad calefaciendas vias urinarias, tum aq. sulphureæ pluribus diebus haustæ ieiuno ventre ad aliquot libras, impositio pulvisculo anisor. vel fæniculi, aut similis diuretici pro primo cyatho, tum resina laricina, aut abietina sæpius sumpta in bolo ad 3ij. circiter, vel per se vel cum pulvisculo alicui⁹ diuretici calidioris.

Vinum quoq; generosum, præsertim albū, diureticis calidis alteratum,

tum, est huic operi accommodatissimum.

Externè probantur insessiones in aquis thermalibus sulphuratis.

Fomenta ex decoctione calidorum diureticorum in vino albo chalybeato.

Illitiones ex oleo laurino, vel simili ex tempore parato, cuius Exemplum habes inter diuretica.

Laudantur cataplasmata ex cæpis, & aliis in vino albo coctis, & contusis, & admotis per se, vel consperſis pulvere Cymini, aut simili.

Infundendi crebro clysteres calefacientes ex oleo prædicto, & vino alterato Chamomelo, foliis lauri, pulegii, serpilli, & similibus calefacientibus, quæ urinam movent.

Adde his omnibus validum motum equirationis, cursitationis, ambulationis, quibus lumborum regio incalescit.

Calidis vero renibus prosunt intrinsecus

secus decoctiones fructuum alkekengi, altheæ, acetos. hordei, lactuc. malu. nymph. portulac. graminis Sonchi, cum emulsion. sem. mel. citruli, & cucurbitæ, aut cum succo limonum.

Præterea serum deputatum addita emulsione sem. frigid.

Item lac ipsum chalybeatum, nisi renum obstructio impediat.

Potus thermarum acidularum, aut ferrearum, quales sunt Lucenses, Noceranæ, Chalderianæ, Patavinæ divæ Virginis.

Esus denig. fragorum, limonum, melonum, citruli, cucurbitæ, hordei, lactucæ.

Extrinsecus juvat balneum, & insessio aquæ dulcis, præsertim alteratæ violaria, parietaria, lactuca, malua, quarum etiam decoctiones utiliter infundunrur clysteribus.

Loco balnei fiant Epithemata ex lacte tepido per se, vel cum decoctione malu. vel ex decoctionib.

dictarum herbarum, addito succo limorum ad penetrationem.

Vrgente calore addantur decoctioni fol. semper vivi, solani hortensis, & vesicarii, & tandem hyoscyami albi.

Efficacissimus censetur succus expressus ex rasura interni corticis cucurbitæ per se, vel cum aliis admotus.

Extemporaneæ quoq; illitiones parabuntur ex oleo decoctionis florum, vel fol. nymph. viol. purp. rosar. pallid. ranarum viridium.

Et urgente necessitate (quod evenit in exquisita diabete) sem. papaver. albi, & hyoscyami albi, ex quibus eliciuntur quoque olea per expressionem ad id efficacissima:

Superponantur lumborum, renumque regioni, recentia folia nymph. tempore decubitus, gestentur vero interdiu, aut eorum loco tenuis lamina plumbea, vel ceratum simplicissimū ex cera flava

sæpius

sæpius lota, & subacta cum aq. ros. aut dictis decoctionibus, oleisvè quod sæpius est renovandum ne vestium attritu incalescens lumborum calorem foveat.

VTERVM.

Alterantia.

UTero (cum sit locus generationis, quæ calore indiget) *nulla frigida per se amica* sunt, si tamen ob impensum calorem *indigeat, iisdem iuvabitur, quæ pro iecore, renibusq;* sunt proposita, hoc solùm animadverso, quod externis remediis semper addendum sit aliquid eorum, quæ calorem eius innatum corroborant, & peculiarem proprietatem fovent.

Refrigerato autem præcipuè conferunt inter vulgaria, artemisia, angelica, calamentum cyperi longi radix, daucus, dictamus albus, cattaria, Lauri folio, & baccæ, lavendula, matricaria, maiorana, melissa, menta sativa, sylvestris, & Græca,

origanum, polium, pulegium, rosmar. ruta, salvia, saturei. serpil. spic. celt. spica Italica, tanacet. odoratum, thymus, & aromatica omnia, inter quæ præstant Cinamomum, Crocus, galanga, myrrha, macis, & nux moschata.

Horum pulveres dari possunt ad ʒj. ex vino aromatico vel iure, vel fingi possunt electuaria, addito triplo mellis despumati.

Huic usui inserviunt omnes species aromaticæ. satis utiles quarum ʒj. exhiberi poterit cum vino.

Verum decoctiones, & vina medicata, cæteris præferuntur, quod ob liquiditatem facilius perferri possint ad uterum.

Optima decocta parantur ex jure columbi, cuius venter farctus sit dictis simplicibus.

Exempli gratia.

℞ *Herb. Calamenti.*

Puleg.

Melis.

Menth.

Menth.an M.i.
Summit. Rosmarin.
Lauendul.an p.i.
Bacc.Lauri.
Nucis Moschat.
Galang.an.ʒj.

Herbæ incidantur, reliqua crasso modo terantur, & simul indantur ventri columbi, tum coquantur in s.q. aquæ lentissimo igne ad perfectam carnis coctionem, fiatq; fortis expressio, & colatura, cuius sumantur quotidie ℥vj, circiter per multos dies.

Vina medicata fient infusione iam dictarum materiarum, vel terna traiectione vini per pulveres earundem oblongo sacculo impositos.

Parant mulierculæ vina per decoctionem, extemporanea quidē, sed minus efficacia, ob tenuiorum partium evaporationem.

Potus quoq; thermarū sulphuratarum opportune hausti uteri

calorem mirum in modum corrigit, atque fovet.

Extrinsecus prosunt insessiones aq. thermar. sulphur. aut balnea dictis herbis alterata, immisso in vulvam perforato tubulo, ut vis medicamenti penetrare valeat ad uterum.

Iidem liquores, uti etiam vina medicata, utiliter infunduntur metrenchytis.

Fiunt suffitus aromatum, & herbarum odoratarum.

Indantur pessi, quales ex tempore parabuntur sic: G. E.

℞ *Pulu. baccar. lauri.*
Rutæ an. ʒ. *j.*
Mirrhæ ʒß.
Succi. matricariæ, vel puleg. vel vini aromatici ℥j.

Misc. & excipiantur lana pexa, vel gossypio in formam pessi.

Vel. ℞ *Mellis optimi.* ℥j.
Succi, Artemis. ℥. ß.

Co-

Coquantur ad debitam consistentiam, tum adde:

Pulu. galangæ. vel.

Spec. Aromaticar. vulgari. ℥j.

Misc. in pessi formam.

Hypogastrio quoq; applicanda sunt fomenta cum spongiis expressis aqua thermali, aut decoctione dictorum simplicium, potissimum ex vino generoso.

At lutis thermarum calidarum illi parti admotis per aliquot dies nullum fomentum præstantius.

Illinatur idem locus oleo spicato, laurino, rutaceo, aliisq; per decoctionem dictorum simplicium paratis: verbi gratia.

R. *Herb. Calamenth.*
Maior.
Matricar.
Menthæ.
Lauendul. an. M. i.
Bac. Lauri.
Galangæ. an. ℥ij.

Tritis terendis infunde per horas 6. in ol. communis ℔. iß. vini aromat. ℔. ß. deinde bulliant lento igne ad consumptionem humiditatis.

Sunt qui oleo parato per decoctionem Santolinæ (quam Matthiolus Abrotanum fœminam facit) peculiarem tribuunt vim ad uteri corroborationem.

Atq; hæc sunt magis vulgaria, & extemporanea alterantia, quibus totius corporis, & singularum partium intemperies corrigi possunt.

REMEDIA MORBORUM In mala conformatione.

ORgani compositionem constituunt debita conformatio, conveniens magnitudo, partium similarium, quibus organum constat, decens numerus, & appositus situs, ad quem congrua connexio refertur, ideo quatuor recensentur summa genera vitiatæ compositionis;

nis; nempe morbus in conformatione. in magnitudine, in numero, in situ.

Conformationi quadruplex accidit vitium in figura, meatu insensibili aperto, vel astricto, cavitate, seu meatu sensibili ampliato, vel coarctato, & superficie lævigata, vel exasperata.

Morbus in figura non habet medicamenta sibi propria, sed vel curatur sola chirurgia, vel medicamentis respicientib. alios morbos, à quibus pendet. Qui fit ob vitiatam conformationē in utero, motus violentos in partu, imperitam deligationem obstetricum, ambulationem pedibus nondum firmis, dearticulationes, Chirurgi errores in curandis fracturis, & luxationibus, indiget chirurgicis presidiis, de quibus hic non est sermo.

Pars verò denuò conformata corroboratur externis fomentis, & ceratis, quæ ex astringentibus,

maximè verò calidis paulò post describendis parantur.

Quòd si vitetur figura ob nimias repletiones, extremas inanitiones, vel ob unius partis in aliam inclinationem, ex paralysi, aut convulsione, uti accidit nervis, aut tendinibus sectis, dura cicatrice, tumore ingenti; curatur vacuantibus nervos roborantibus, duritiem emollientibus, de quibus jam dictum, adhæc reficientibus partem inanitam, & glutinantibus solutam unitatem, de quibus dicetur postea.

RARITAS Porositatum,

RAritas, *seu apertio meatuum insensibilium*, quos appellant porositates, quæ in effuso gaudio, & sudore diaphoretico sæpe est mortis causa, curatur refrigerantibus, astringentibus & emplasticis, seu infarcientibus poros, quæ extrinsecus administrantur. Maximè obvia

sunt

sunt aspersio aquæ frigidæ, eoque magis, si perfrigerata sit nive, aut glacie, aut prius alterata frigidis astringentibus, de quibus infra.

Item illinitio corporis ex oleo actu frigido, & maximè omphacino, seu immaturo, aut frigidis astringentibus alterato, uti rosis, cydonis & aliis.

Aer quoq; frigidissimus exoptatur, ut suo contactu poros contrahat.

Si hæc non sufficiant, incrustetur corpus gypso usto excepto, & diluto aqua frigida.

Si raritas occupet partem determinatam, ut cum ob ratritatem penis contineri nequeunt spiritus in nervo fistuloso ad stabilem membri erectionem, convenient astringentia mox proponenda; applicata loco affecto, maximè vero calida, quippe quæ magis corroborant.

DEN-

DENSITAS PORORUM.

Densitati seu astrictioni eorundem meatuum, si fiat ab aliqua materia impacta conveniunt calida detergentia, & attenuantia, quæ proponentur ad tollendas obstructiones ab infarctu crassæ materiæ.

Si fiat refrigeratione, & siccatione, conveniunt moderatè calida, & absq; siccitate attenuantia, quorum insignis est usus ad disponendum corpus ad sudores necessarios & ad corporis perspirationem, quæ ad internas febrium putredines arcendas, & cutaneas fœditates tollendas, procuratur.

Huiusmodi sunt balneum ad tepidæ, fomentum ex hydræleo, vel aqua tepida, præsertim alterata anetho, alth. malu. vel portiuncula vini albi. Inunctio olei veteris, quod reddetur efficacius incocto vino albo, & anetho, camæmelo, althea, malua rad. lilior. albor. sem. lini,

lini. florib. iasmini vulgaris, & violæ luteæ ad consumptionem humiditatis.

Fiat autem iunctio oleo calidiusculo, & præmissa frictione molli, aut fricetur mediocriter corpus vola manus imbuta dicto oleo, vel vino albo aromatico addita mediocrate decoctionis violar. & malua. ex aqua communi, si febris sit insignis.

Sed & frictio ipsa per se mollibus linteis tepidis facta tollit cutis densitatem, & multo efficacius, cucurbitulæ cum, vel sine scarificatione.

LAXITAS CAVITATVM.

AMplicationi. *seu mavis laxitati, & dilatationi Cavitatum, seu meatuum sensibilium conveniunt* astringentia, quæ cutis etiam meatus tanto validius densant quantò sunt minores cavitatibus.

Astrin-

Astringentium v. materia latissimè patet; potestq; triplex eorum constitui ordo, ut singulorum delectus ad usum sit facilis.

Quædam subadstringunt tantum, quorum præcipuus est usus ad corroborandas partes ad frænandas excretiones, quæ non omnino sunt inutiles, sed quantitate, aut diuturnitate enervare possunt vires.

Alia mediocriter astringunt, quibus ad repellendas fluxiones à *partibus susceipientibus*, *fluxusque* omnes noxios sistendos præcipua est vis.

Alia deniq; laxatas partes in profundum cogunt, usurpanda cum ex fluxionis impetu, vel evacuationis vehementia imminet periculum præceps, uti ferè accidit fluente materia valde tenui, & per vias diuturna fluxione valde laxatas.

Eligantur v. in causa frigida quę astringunt cum caliditate vel sine manifesta frigiditate.

In

In causa verò calida iuvabunt, quæ agunt refrigerando.

Ex universo autem astringentium genere hęc ad extemporaneam medicationem paratu erunt faciliora.

IN CAUSA FRIGIDA.

PRo causa frigida subadstringunt, absinthium, quodcunque sed maximè ponticum, agrimonia, betonica, brassica bene cocta, coriandri semen, cuminum torrefactum, cyperi longi radix, fabarum cortex, lentisci lignum, & folia, menta sativa sicca, mastiche, oriza tosta, rosmarinus, salvia, scabiosa vulgaris, thus, resina laricina, vel abietina ad duritiem cocta, vinum austerum, aut quxdcunque aliud chalybeatum.

Dantur intrinsecus aridorum pulveres per se ex vino austero ad ʒ j. circiter.

Vel fiunt decocta, aut vina medicata, inter quæ excellunt vinum absin-

absinthite, lentiscinum, mastichinum, rosmarinum, & salviatum.

Potus quoq; ordinarius utiliter alteratur sem. coriandri, & mastich. & dictorum pulveres inspergiuntur cibis.

Ad Gonorrhæam inveteratam sine ardore urinæ, valent dictæ resinæ coctæ in aqua pluviali, vel chalybeata per multos dies sumptæ ieiuno ventre, & in pilulas redactæ ad ʒj. cum ℈i. menthæ siccæ, vel agni casti semine.

Eandem sistit pulveris mastich. ʒj. ex ouo sorbili sumpta, per aliquot dies horis quatuor ante prandium.

Idem pulvis ea ratione sumptus, si superbibatur modicum vini absinthites, sistit fluxum, hepaticum proprie dictum, & fluxus cœliacos antiquos, nec non vomitum ex imbecillitate ventriculi.

Extrinsecus fieri possunt illitiones ex oleo communi immaturo

compha-

(omphacinum vocant) vel ex maturo alterato absynthio, menta ficca, rosmarino, lentico, mastiche.

Vel linimenta extemporanea, G.E.

℞. *Pulu.* Masti. *h.* ʒj.
Ol. communis ℥j.
Ceræ flauæ q. f. M. F. linimentum.

Fiant sacculi ex cumino torrefacto, & oryza tosta.

Vel fomenta humida ex vino rubro austero dictis herbis alterato.

Aut Cataplasmata ex corticib. fabar. oryza tosta, pulvere absinth. oleo, & vino austero.

Ex mastiche, & thure fiunt Cerata addito oleo absinthii, resinæ pini, & ceræ flavæ sufficienti quantitate.

Ad diuturnas oculi lachrymationes valet frequens ablutio oculi vino albo, maximè generoso, quod accenso thure ter restinctum sit, addendo

dendo tertiam partem aquæ fluviatilis, si lachryma sit mordax.

Mediocriter astringunt: Avenæ farina tosta pro ferculis, castanea, caryophyllata, iacea nigra, iuglandium viridium cortex, lens bene cocta, & eius succus, osmundæ radix.

Vvæ nigræ semimaturæ in furno siccatæ pulvis, cuius 3j. multis diebus bibita ex vino subaustero, tanquam summum secretum proponitur à Septalio ad curandum fluxum *hepaticum*. *Curat quoq;* profluvium muliebre sumptum ex vino arom. medicato cum rosmarino salvia, aut mentha.

Ad faucium affectus calidos singulariter prodest decoctio, aut succus cortic. viridis iuglandium pro gargarismis, in quem usum fit syrupus ex melle, & sueco depurato.

Lentis bene coctæ succus cum momento pulveris galangæ, vel nucis moscatæ sumptus mane 4. horis ante cibum curat vomitum,

& diar-

& diarrhæam ex ventriculi imbecillitate.

Caryophyllatæ, & ofmundæ radix decocta ex vino rubro, & in pulverem trita, peculiariter valet ad inteſtinorum, & uteri prolapſum.

Extrinſecus convenit farina volatilis, addita Emplaſtris ad mictiones cruentas.

Lumbrici terreſtres in Emplaſtris ad vulneratos nervos.

Sal, & Alumen rupeum addita decoctionibus ex vino rubro factis ad partium corroborationem.

Balnea thermarum alumineſarum, & gypſearum (quales ſunt in monte ægrotorum agri Patavini) ad roborandos artus antiqua fluxione tentatos.

Vinacia calentia ad firmandos articulos.

Mica panis toſti aſperſi vino generoſo, & pulvere abſynthii, vel menthæ pro fomento ſtomachi languidioris. Valen-

Valenter astringunt Alchimilla, filipendula hortensis, præcipuè radix, Geranium omne, maximè pes columbinus, herba Roberti, pilosella.

Datur eorum decoctio, vel pulvis ad ʒi.

Est quoq; efficacissimus pulvis spongiæ ustæ, & interioris pelliculæ castaneæ.

Ex herbarum succis, & radicum pulveribus farinæ mixtis pinsitur panis ad *biscocti duritiem*, qui in pulverem tritus utiliter miscetur cibariis absq; nausea.

Extrinsecus parantur fomenta ex herbarum decoctionibus cum vino austero addito alumine.

Succus ex semimaturo fructu Guaiaci Patavini expressus linteo, vel spongia exceptus, desperatas hæmorrhoidum fluxiones sistit, ideò cum alumine inspissari potest, & ad usum reservari.

Ster-

Stercus etiam caprillum cum aceto tritum, & admotum sistit omnem fluorem sanguinis.

Vrticę vulgaris folia trita, ut succum emittant, & turundæ instar naribus indita, hæmorrhagiam, quantumvis ferocem, illicò sistunt.

IN CAVSA CALIDA.

IN *causa verò calida subastringunt* aq. pluvialis, atq. chalybeata, aqua thermalis ferrata, qualis est Patavina montis Ortonis: acetum, posca, cichorei radix, cupressi folia, fragaria sicca, hordeum torrefactum, unde fit ptisana cum aqua chalybeata, lac chalybeatum, muscus arboreus, myrthus, portulaca, persōnata, persicaria maculosa, pyrus domestica, pruna acida, prunifolia, potamogetum, rosæ maximè rubræ flos, semen, lanugo. calix, radix; salicis flos, folio, sempervivum, verbascum, vitis folia, & capreoli, umbil. ven.

Ex

Ex his parabuntur potissimum decoctiones, inter quas excellit ad diuturnas fluxiones, decoctio radicum rosar. ex aliqua dictarum aquarum.

Sistit quoque certa experientia unius, aut alterius dici spatio omnem fluxum ventris calidum, excrementosum, & sanguineum hic potus.

℞. *Succi sempervivi maior.*
Succi Persicariæ maculatæ an.
℥iij.

Coquantur ad consumptionem tertiæ partis, & porrigantur in potu.

Extrinsecus parabuntur fomenta, balnea, Emplastra, Epithemata, aliævè medicamentorum formæ pro usus exigentia.

Mediocriter adstringunt acetositas mali arantii, citri, & Limonis immaturi, arbuti fol. balaustium, berberis, bursa pastoris, castaneæ medius cortex, cystus, cornus, eiusq; fructus,

fructus, cupressi coni immaturi, seu virides, flos solis, glandes, & earum caliculi, herba trinitatis, hypocistis, labruscæ flos, lysimachiæ purpureæ flos, Limonium quodcunque, lapis hæmatices vulgaris, malum punicum acidum, malum cydonium, malicorium, millefolium, morus immatura, oleæ folia, ophioglossam, plantago, pyrus sylvestris, fructus ribes, rubi fol. & morus immatura, sideritis, Achyllea, terra quæcunq; medicata, ulmus, virga aurea, atq; hæc omnia fere ubivis locorum sunt obvia.

Dantur aridorum pulveres ad ʒi. in bolo, vel potu, cum liquore convenienti.

Ex herbis fiunt decoctiones, sed efficaciores sunt succi, quorum dosis est ab ʒi. ad ij.

Habetur pro secretis ad cohibendum omnem fluxum sanguinis flos Lisimachiæ purpureæ ad ʒi. aliquot vicibus datus cum vino rubro austero. Item

Item hic syrupus: ℞. Aq. polygoni, vel millefolii, aut plantagin. aut decoct. millefol. ℥.v. ducatur in hoc liquore lapis Hæmatites, donec cruentum colorem contrahat, deinde adde syrupi cydoniorum, vel granatorum acidorum ℥i. Misc. pro potu. Loce syrupi addatur tantillum sacchari ad penetrationem, & succi limonum, vel pyri austeri, aut alterius, qui gustui sit suavis.

Ad cohibendos ventris fluxus, & vomitus, excavetur malum cotoneum, aut sativum quodcunque acidum (præstant autem poma ferruginei coloris.) repletum cera alba, coquatur sub cinerib. charta involutum, deturque unum, aut alterum illius frustulum conspersum pulveribus mororum immaturorum paulo ante cibi sumptionem.

Ad mictionem cruentam.

℞ *Decoct. virgæ aureæ ex aq. pluvialı, vel chalyb.* ℥iv.

Aq.

Aq. alb. ovor. ℥ii.
Sacci limon. ℥i.

Misc. pro potu.

Pro extrinsecis, fiant olea extemporanea per decoctionem cytoniorum, conorum cupressi, pini, aliarumq; herbarum addita posca usque ad humiditatis consumptionem, quorum usus erit in illitionibus, vel in unguentis, ad quæ utiliter recipitur lytarghyrum in aceto coctum.

Epithemata fient ex posca cum albumine ovorum.

Fomenta, & insessiones ex herbarum decoctionibus.

Defensiva vulnerum ex bolo armeno, vel quacunque terra medicata, & lapide Hæmatite vulgari, exceptis; & agitatis cum albumine ovorum ad linimenti consistentiam.

Cotis sedimentum per se præbet Emplastri materiam ad reprimendum quemcumq; fluxum.

A Rulando passim extollitur ad cohibendum sanguinem, cum impetu ex quocunque loco erumpentem, emplastrum ex argila usta, & cum aceto cocta, calidè admotum parti.

Ventriculo utile est emplastrum ex cotoneo cocto in vino rubro subaustero, solo, vel addita mica panis emollita aceto.

Valenter astringunt inter vulgarissima acini uvarum, acini mali *punici exsiccati, amaranti* purpurei flos, avellanar. sylvestrium interior pellicula, certi folia, & radix, consolida maior, consolida media, seu Bugala; equisetum, galla præsertim immatura, herniaria, iridis luteæ sylvestris radix, lapis hæmatites verus, lagopus vulgaris, mala sylvestria, mespila immatura, mori radicis cortex, numularia, omphacium, prunorum sylvestrium succus, polygonum, quercus folia, & radix, liber, qui est inter lignum, & corti-

corticem, sorbus immatura, sumach, sanicula mas, urtica mortua, virga sanguinea Matthioli, seu cornus fœmina.

Ex his aliqua peculiariter commendantur ad quosdam fluxus, licet omnia quibuscunq; aptari possint, ubi valida opus est adstrictione.

Ad profluvium mensium pro expertis habentur mori rad. cortex, urticæ mortuæ radix, & acini uvarũ, nec non granatorum, quorum pulveres sigillatim exhibentur ad ʒ i. cum vino rubro, aut liquore analogo.

Ad sputum cruentum; lapis hæmatites sumptus cum saccharo rosar. ad ʒ i. vel ductus in potionibus adstringentibus, donec cruentum colorem contrahat, vel sacculo inditus ac in pulverem subtilissimum tritus, per quem vinum, aut quicquid aliud pro ordinario potu paretur, sæpius percoletur.

Ad vomitus, & quoscumque alui fluxus immoderatos, & inveteratos certissima sunt hæc duo Electuaria. Primum:

℞ *Rad. Irid. lutea sylvest. coctæ in aq. pluvial. & per setac. transmiss. part. ij.*

Sacchar. Ros. Antiq. p. i.

F. Electuarium S. A. Cuius dosis est ab ʒß. ad ʒi. loco sacchari ros. sumatur pro pauperculis dimidium *mellis* prius despumati & cocti in aq. *pluviali*, aut *chalybeata*, in qua folia tenerrima quercus aliquamdiu bullierint.

Secundum.

℞ *Rad. consol. mai. coctæ in decoct. radic. filipendul. hortens. & per setac. transmiss. p. ij.*

Sacchar. ros. p. i. vel aquale pondus.

Misc. F. electuarium, cuius eadem est dosis, ac prioris electuarii.

Si paretur ad hepaticos fluxus, (sistunt autem illos feliciter) addenda

denda est quarta pars conservæ absynthii, aut duodecima pars pulu. absynth. vel mastich.

Ad eosdem affectus præstantissimum est decoctum rad. & folior. tenerrimorum quercus paratum ex vino rubro, addito tantillo absynthii, si quotidie bibatur ad ℥.vj. circiter quinque horis ante cibum.

Alia ad alios usus componi possunt pro cuiusque arbitrio.

Extrinsecus conveniunt gypsum crudum ceratis, & emplastris additum.

Item stercus suillum, & asininum, vel recens, vel in pulverem tritum, utroque autem hæmorragia immoderata citò cohibetur, si admoveatur cum albumine ovi, aut insuffletur.

Guainerius audet asininum stercus interne usurpare, & syrupum ex saccharo, & recentis stercoris expressi succo præparatum, tanquam summum arcanum ad cohi-

bendos immoderatos menſes, aliaſq; ſuperfluas ſanguinis excretiones proponit.

Oleum de cerro, & rad. querc. elicitum per deſcenſum, omnibus aliis aſtringendi facultate facilè præcellit.

Cæterum ex herbarum decoctionibus fient fomenta, & balnea.

Ex fructibus immaturis cum poſca tuſis, & mediocriter coctis, fient cataplaſmata.

Extemporaneum erit etiam ſimile unguentum, cuius uſus vicem ſupplebit unguenti de caſtaneis, & Comitiſſæ.

℞ *Gallæ immaturæ.*
Nuc. cupreſſ.
Acinorum uvar. rubear.
Malicorii.
Cortic. median. caſtanear. Maſtiches, an. ℥ß.
Ol. immatur. vel roſ. ſæpius loti in aq aluminoſa. ℔.j.
Cera albæ. ℥iij.

Arida

Arida in subtilem puluerem trita, mergantur in succum prunorum sylvestrium, vel sorbi immaturæ, Omphacium, aut succum herbarũ adstringentium, & lento igne siccentur, addendo, priusquam induruerint, oleum & ceram diligenter agitando, & commiscendo.

Si mavis cerati formam sume resinæ ℥iij. & ceræ ℥.v. ad dictam olei, & puluerum quantitatem.

ANGUSTIÆ Cavitatum.

ANgustia, seu coarctatio cavitatum quinque modis accidit, obstructione, constipatione, compressione, coalitu, & subsidentia, unde morbi in angustia differentię sumuntur, quæ quidẽ uti generatione, & causarũ varietate discrepant ita diversis remediis tolluntur.

Obstructio propriè dicitur, illa cavitatis angustia, quæ fit à rebus intus præter naturam contentis (non adnatis) atq; adhærescentibus cavi-

tati; cuiusmodi sunt humores, & vapores nimis copiosi, crassi lenti, adhæc pus, grumi sanguinis, & lactis, spinæ, & ossicula gulæ transitum impedientia, pili, calculi, vermes, fæces intestinis inhærentes.

Pus absceſſibus inclusum tollitur apertione absceſſus, quæ fit ferro, vel igne actuali, aut potentiali, id est caustico, de quo paulo infra.

Quod adhæresçit ulceribus, tollitur sarcoticis, de quibus inter *remedia ulcerum*.

Quod effusum est in alias cavitates, uti asperam arteriam, etiam tollitur incidentibus, & detergentibus, quæ mox proponentur.

Grumi sanguinis prius dissolvendi sunt remediis alias propositis, tum evacuandi per alvum, urinam, sputum & pro partis affectæ situ, deiectoriis, diureticis, expectorantibus ab initio enaratis.

Lactis quoque grumum solventia, & discutientia parent ex dictis.

Corpo-

Corpora inhærentia gulæ, si sensui pateant, extrahuntur ferramentis: si minus, dimoventur loco, sternutatione, vociferatione, vomitu provocato per immissum digitum, aut pennam in œsophagum: item copioso potu, deglutitione boli solidioris non benè masticati, & tandem deglutita spongiola prius imbuta resina, ut corpora eidem adhæresçant, postea retracta beneficio longioris fili alligati.

Pili aliaq; corpora extrinsecus advenientia, si appareant, tolluntur chirurgicis instrumentis: Si lateant in ventriculo, aut intestinis pelluntur deiectione aut vomitu pro ægri inclinatione.

De laxantibus alvum, atq; adeo fæces vacuantibus, præterea de vermium, & calculorum remediis vaporesque copiosos, & crassos discutientibus dictum est inter remedia morbi causam auferentia.

Obstructio à plenitudine, seu copia

sanguinis tollitur victu tenui, non optimi, plurimivè succi, validis exercitiis, multis frictionib. medicamentis exiccantib. totum corpus, & sensibili evacuatione per venas sectas, scarificationes, cucurbitulas scarificatas, hirudinesque.

At pravi humores, copiosi, crassi, & glutinosià quibus frequentissimè obstruuntur mesenterium, iecur, lien, uterus, renes aliarumque partium venæ, & arteriæ postulant medicamenta *primò quidem incidentia*, attenuantia; & detergentia, deinde vero evacuantia.

De vacuantibus dictum est abundè ab initio. Alterius generis ea sunt, quæ pro crassorum humorum præparatione dicta sunt. Quia tamen hæc exobstruentia latius patent, quam præparantia humores, & eorum frequentissimus est usus in curandis febribus, hypocondriaca melancholia, lienosis, ictericis, menstruorum defectibus, operæ pretium

pretium est paulo distinctius illa recensere, atque in tres partiri classes; frigida nempe, temperata, & calida, ut in usu delectus sit facilis.

Frigida exobstruentia conveniunt febribus acutioribus, partibusque calidis obstructis ab humoribus adustione incrassatis : inter quæ magis obusa sunt acetosa, aciditas citri, & limonis benè maturi, cichor. endiv. fragar. gramin. radix, hepatica, hieracium, lapathi cuiuscunque radix, melonis, & peponis sem. uti & citruli, cucumeris, atque cucurbitæ, sonchus, scariola, taraxacum, trifolium acetosum.

Ex his fiunt decoctiones ex aqua, aut iure pro syrupis, qui præstantiores evadunt addita emulsi. sem. frig. mai.

Setum lactis depuratum per se est efficax, sed fit efficacius eorundem sem. addita emulsione, vel si herbis aperientibus alteretur.

Herbarum succi depurati miscentur

centur iuri pro extemporaneo syrupo ad ℥ij. & iij.

Aciditatis citri, & limonis usus est maximus in cibis, & medicamentis, uti etiam emuls. sem. melon. & cucurbitæ, qua panatellæ liquidiores, & ptisanæ hordeacæ passim atteruntur.

Pro ordinario potu satis grata est decoctio trifolii acetosi, acetosæ, fragariæ, & graminis; quæ reddi potest acidior. addita portione aciditatis citri, aut limonis.

Verum seminibus acetos. inest hoc maximè necessarium ad fallendos ægros vinum importune exigentes, quod aquam acidulam reddunt, & rubelli vini colore afficiunt.

Temperatiora, in quibus non observatur effatu dignus excessus calidi, aut frigidi, conveniunt maximè febribus diuturnis ex humorum aduſtione, quæ deferbuerit: Item melancholicis affectibus, uti

hypo-

hypochondriacis, & scirrhosis: Talia sunt inter simplicia, capillus ♀, aq. thermales, acidulæ, lupulus, liquiritia, trichomanes, quinq; folium, quæ omnia adduntur prædictorum frigidorum decoctionibus.

Composita multo plura fingi possunt, pro cuiusq; arbitrio; nam frigida cum æqualiter calidis pari pondere mixta faciunt temperata.

In hunc finem serum depuratum alteratur aliquando agrimon. radic. asari, cuscuta cum momento absynthii; quo nil utilius in morbis melancholicis.

Eodem modo dari solet succus cichorii condensatus cum succo agrimoniæ, & tantillo chalybis præparati in bolo sumendo ante aliquam decoctionem aperitivam.

Mel quoque, & saccharum addita succis, & decoctionibus exobstruentium frigidorum faciunt temperata.

Huic

Huic vivi maximè ſerviunt vulgares, & paratu facillimi duo ſyrupi, oxymel nimirum ſimplex, & ſyrupus acetoſus ſimplex, qui conſtant ex una parte aceti, & duabus mellis, aut ſacchari, & quatuor aq.

Verum remediis huius claſſis præcellunt tria ſequentia paratu facillima.

Primum Aq. fabrorum clarificata pro potu ordinario, cum qua fieri poteſt mulſa dilutior addita *vigeſima parte mellis, aut ſacchari.*

Secundum cremor Tartari à ℈i. ad ℥j. additus iuſculis aperientibus.

Tertium chalybs præparatus, ſine quo ſcirrhi, & obſtinatæ obſtructiones vix cedunt.

Multiplex eſt eius uſus, & præparatio. Omnium facillima, maximeq; extemporanea, imò & optima eſt iſta.

Extendatur chalybs in tenues, longoſque bacillos, aut laminulas, nam admoto ſulphuris cono funduntur,

duntur, & suppositа aqua excipiuntur, inq; subtilissimum pollinem teruntur. Datur hic pulvis à ℈ß. ad ℈ij. circiter, vel in bolo, vel electuario, vel vino.

Forma boli est huiusmodi.

℞. *Succi agrimon.*
Succi borag. condensat. an. ʒj.
Chalyb. præparat. ℈ij.

Misc. F. boli, num. ij. sumendi paulo ante decoctionem exobstruentem.

Electuarium erit tale:

℞. *Pulu. Agrimon.*
Capil ♀.
Ceterach. vel,
Lingu. cervin.
Rad. Quinquefol.
Liquirit.
Chalyb. præparat.
Fol. Senæ. an. ℥i.
Cinamom. ʒi.
Pulpæ passular. in uino albo coctar. & per setac. transm. ℔.i.
Syr. de pomis simpl. vel pro pauperculis, *oxym. simpl.* ℔ij.

F. Elect. S. A. sumendum ad ℥i. circiter, quatuor horis ante prandium. Cum vino dupliciter porrigitur, vel bibendo puluiſculum chalybis mixtum vino, vel parando vinum chalybeatum.

Optimus erit hic pulviſculus pro una doſi.

℞ *Chalybis præparati.*
Cremor. tart. an. ℈i.
Cinamom. ℈ß. Miſc. F. pulvis.

Vinum chalybeatum fiet, ſi in ℔.iij. *vini albi odorati* ponatur chalybis præparati, *fol. ſenæ an.* ℥i. *Cinam.* ℥ij. *Herbar. aperientium*, & appropriatarum parti obſtructæ. M.iij. ſtent in loco calido per octiduum, & frequenter agitentur. Tum percolentur ad uſum, & porrigantur, ℥ij. aut iij.

Poteſt quoque præſtantiſſimus ſyrupus chalybeatus parari in hunc modum.

℞ *Chalybis præparati, q. lubet*: affunde *acetum* acerrimum ad emi-

nen-

mentiam transuersorum 4. digitor. & sinatur in loco calido, donec chalybis tincturam extraxerit, tum inclinato vase separetur à sedimento, huic adde *sacchari*, vel *mellis* optime despumati duplum, præterea *passularum* ℥ß. *& absynth j. com.* P. j. ad singulas libras aceti, coquantur lento igne ad syrupi consistentiam, fiatq; colatura, cuius dosis erit ℥i. cum decoctione appropriata parti affectæ.

Quæ extrinsecus admoventur mixta sunt ex emollientibus, & digerentibus, qualia sunt fomenta ex decoctione maluar. alth. melil. fænugræc. aneth. chamomel. & portione absynthii ad partis corroborationem; addendo sub decoctionis finem aliquid vini albi, & aceti ad penetrationem.

A fomento fiat inunctio olei ex iam dictis parati per decoctionem, quale discribitur inter emollientia humorum duritiem.

Calidiora

Calidiora exobstruentia conveniunt habitui, & tempori frigidiori, nec non febribus diuturnis, qualia sunt hæc vulgarissima simplicia: Absynth. agrim. apium, arthemis. asparag. betonica, capparis, maxime radicis cortex, ceterach, chamædiis, cuscuta, daucus vulgaris, enulæ campanæ radix, filicis radix, fæniculum, fraxini cortex, fumar. communis, & lutea, gentianæ rad. hædysarum, hyssopus, iri'o, iva arthritica, *lingua cerviua, matricaria*, marrubium album, mentastrum, petroselinum, puleg. rubia tinctor ruscus, tamariscus, satureia, in quorum usu eligenda semper ea, quæ appropriata sunt partibus affectis, & inter alterantia determinata proponuntur.

Fient autem ex iam dict's; syrupi electuaria, & decocta pro rei exigentia, &c.

Redduntur efficaciora decocta in

in iure galli senioris, aut columbi, si fieri possit.

Vina quoq; medicata, uti absynthite, optima censentur, cum viscerum imbecillitas antiqua est, atq; ex vinis addita dimidia quantitate mellis despumati fiunt syrupi utiles, & grati; sed efficacissima redduntur vina additio chalybe modo paulò ante dicto.

Mulsa paulò plenior alterata herbis propositis præstantissima erit pro potu, uti oxymel quodcũq; compositum ex iisdem pro syrupo, quale est vulgare officinarum ex quinq; radicibus aperientibus, apii, asparagi, fœniculi, petroselini, rusci.

Extollitur quoq; usus aceti scyllitici ad semicochlear additi syrupis, ac decoctionibus.

Sunt qui radicem ari sæpius infusam vino, & vicissim exiccatam, donec acrimoniam pene omnem exuat, ad inveteratas obstructiones omnib. præferant. addi potest electua-

ctuariis, sed frequentius usurpatur pulviſculus inde factus cum vino, aut iure exhibitus, cuius forma huiusmodi esse potest.

℞ *Chalybis præparati.*
Rad. Ari præparatæ an. ʒß.
Cinamom. ʒiß.
Sem. fœniculi ʒß.
Sacchari fini. ʒi. Misc.

Redditur efficacior addita salis absynthii ʒi. F. pulvis subtiliſſimus, cuius dosis sit ʒi. circiter.

Vel. ℞ *Rad. Ari præparata* ʒj.
Summit. Absinthii comm. (sal. absinth. longe præstantius est) ʒj.
Cinamom. ʒi. ß.
Sacchari fini ad pondus.
Misc. F. pulvis subtiliſſ.

Per se valde exobstruunt aquæ Thermales sulphureæ, ac nitrosæ post totius corporis purgationem potæ, uti etiam Terebinthina vulgaris exhibita in bolo ad ʒiß. circiter, quæ etiam bibi potest, si cum tan-

tantillo lutei ovi agitetur, sensimq; addatur aq. agrimoniæ vel vinum usque ad ℥ij. vel iij. continue agitando usque ad perfectam albedinem.

Extrinsecus admoveantur fomenta ex decoctione digerentium, & emollientium addito sub finem decoctionis vino albo, & aceto neque neglectis herbis appropriatis parti affectæ, ex quibus fient quoq; olea per decoctionem pro inunctione.

Præstantissimæ sunt irrigationes, aut stillicidia aquarum sulphurearum, & bituminosarum, atque earundem luta debita ratione admota.

CONSTIPATIO.

Constipatio cavitatis proprie dicitur, angustia orta à rebus intus adnatis & adhærescentibus parti, puta tumoribus, carne, callo, fœtu mortuo.

Pellentia fœtum mortuum sunt propo-

propoſita inter remedia cauſæ peccantis ſubſtantia.

De tumoribus dicetur inter morbos auctæ magnitudinis.

Caro, & callus quemadmodum ferro, & igneo non difficulter tolluntur, quando ſub aſpectum cadunt, ita ſolis medicamentis, & quidem difficilius auferũtur, quando in profundo latitant, cumq; mollior ſit caro, quam callus, requirit mitiora medicamenta, quæ vel *ſtrenue ſiccent, vel leviſſime* exedant. *Callus* autem erodentia, ſeu ſeptica poſtulat.

Carni ergo conuenient Ariſtol. rot. rad. alumen vſtum, antimonium calcinatum, ellebor. nig. rad. gallæ vſtæ, mellis vſti cinis, minium vulgare, Gentianæ rad. cinis, oſtrearũ teſtæ, maxime crematæ, plumbũ, cum ſulphure vſtum, ſpongiæ vſtæ cinis horum omnium pulveres miſcentur vnguentis, vel liquoribus, qui infunduntur.

Exper-

Expertum est sequens vngnentum ad carneas excrescentias, in primis verò carunculas in meatu vrinario absque dolore, aufert, si candelæ extremitati apponatur, validè enim adhærescit, & partes sanas non excoriat.

℞ *Mellis in cinerem usti.*
Tutiæ præparatæ.
Butyr. recent. loti.
Terebinthinæ lotæ.
Ceræ flavæ an. ℥ß.
Alumin. usti. ʒß. Misc. F. Linim. S.A.

Præstantissimus est etiam hic pulvis à Mercato descriptus *libro 2. de recto præsidior. usu. cap. 7.*

℞ *Aeruginis.*
Auripigment.
Vitriol.
Alumin. rupei an. p. æ.

Cum aceto acerrimo terantur, & lævigentur in pollinem, exponantur soli caniculari, siccat⁹ pulvis rursum aceto affuso lęvigandus, ac vicissim

vicissim soli exponendus, idque faciendum 10. dierum spatio; tum.

R. *Lytarg. auri triti, & tribrati partem unam.*

Ol. Ros. partes ij.

Coq. ad consistentiam Emplastri, cuius accipitur æquale pondus cum prædicto pulvere, & miscetur ad usus.

Tollit quoque omnem excrescentiam certissimo experimento hic alius pulvis.

R. *Cortic. nuc. ingland.*
Spongiæ.
Rad. *Aristol. rot an. p. æ.*

Exiccentur simul in olla in furno posita, ut in pulverem teri possint; hocq; pulvere inspergatur locus affectus melle prius perunctus.

Callos exstirpant inter maxime vulgaria, auripigmentum, ærugo æris, calx viva, fæx vini usta, fæx aceti usta, vitriolum ustum, ol. sulphuris, & vitrioli: hæc omnia in usu temperantur mitioribus, modo maiori,

maiori, modo minori quantitate pro usus exigentia.

Exempli gratia pro infusione:

℞ *Decoct. Aristoloch. rot.*
Gentian.
Ellebor. nig.
Rad. althææ. ℔ ß.
Ol. Sulphuris aut
Vitrioli. ℥ ß. Misc.

Pro unctione.

℞. *Vitrioli usti.*
Alumin usti. an. ʒ j.
Butyr. rec opt. lot. ℥ ß. Misc.

Si pulverem sem. papaveris albi addideris, vel hyosciami: medicamentū plane indolens reddideris.

Pulvis Mercati per se usurpatus est efficacissimus.

Optimus est iste, paratu facilior. Subigatur calx viva cum melle in formam pastæ, siccetur; in furno, ut in pulverem teri possit: inspergendum callositati, aut superfluæ carni melle priùs illitæ.

COMPRESSIO.

Compressio cavitatis cum fiat ab omni re incumbente cavitati, & comprimente, interventu, vel gravitatis, vel tensionis, vel impulsionis violentæ, vel astrictionis, nō habet particularia remedia; nam gravitas, & tensio à copia materiæ, tollitur vacuantibus sensibiliter, & insensibiliter, de quibus ab initio dictum est.

Tensio à flatu tollitur discutientibus.

Impulsio violenta ferè sequitur luxationes, depressiones, & fracturas ossium, quæ chirurgia curantur.

Adstrictio violenta sequitur causas potissimum externas, uti fascias arctius deligatas, & quarum prompta est remotio.

COALITUS.

Coalitus cavitatis fit mutua agglutinatione laterum, quando natura ipsorum ulcera, implet ex

ex boni sanguinis affluxu, unde curatur tantum ferro incidente, & separante latera conglutinata, sed post separationem munienda sunt probe latera, ne vel se contingant, vel denuo coalescere valeant, idcirco incurabilis est coalitus internarum cavitatum, quæ incidi non possunt.

SVBSIDENTIA.

Subsidentia cavitatis, si quidem fiat evacuata materia, quæ intus contineri deberet, restituitur solis alimentis regenerantibus materiam necessariam, si fiat parietibus cavitatis ob nimiam ariditatem contractis, aut ob insignem relaxationem concidentibus, curatur humectantibus, aut insigniter exiccantibus, ad humectationē sumuntur emollientia mitiora, & anodyma propriè dicta suis locis proposita: ad exiccationē conferent digerentia,

rentia, & discutientia mixta astringentibus valentioribus iam enumeratis.

LÆVITAS.

SVperficies lævigata tollitur primo detergentibus, deinde exiccantibus.

Ad detergendum conveniunt omnia proposita pro pituitæ præparatione, & pro tollenda obstructione ab humorum crassorum; & *viscidorum infarctu, & pro* detergenda cute. Habent tamen quandam prærogativam aquæ salitæ naturales, vel artificiales, & mel decoctionibus additum, quæ potissimum ex amaris parantur, uti gentiam radic. helenij, aristoloch. long. centaur. min.

Pro exsiccatione conveniunt evacuantia insensibiliter, mixta validis astringentibus, de quibus antea.

ASPE-

ASPERITAS.

SV*perficies exasperata* curatur emollientibus, & anodynis propriè dictis, quando fit à siccitate; privatim v. asperitas faucium, & laryngis, quæ frequentissima est, curatur iis, quæ ad vacuationem pectoris per sputum in materia salsa sunt proposita.

Quod si fiat à materia acri, & mordaci superficiem leviter abradente, tollitur demulcentibus acrimoniam, tum abluendo, tum oblinendo vi Epicerastica, de quibus inter remedia alterantia causam morbificam.

REMEDIA MORBORUM in vitiata magnitudine.

MAgnitudo naturalis excessu, vel defectu fit vitiosa, eum supramodum augetur, vel diminuitur. Diminutæ magnitudinis species recensentur, atrophia, seu macies singularum partium; & Ma-

rasmus, seu consumptio totius corporis consequens febrem hecticam, aut Tabem, nam macies convalescentium, post morbos acutos vix morbi nomen meretur, cum cito recedat, morbo, à quo pendebat, iam superato.

Magnitudinis auctæ, quam tumorem appellant, differentiæ omnes à causa sumuntur, quæ genere quadruplex statui potest.

Prima est solidum corpus secundum substantiam, pertinens ad integritatem corporis, unde fit obesitas à nimia pinguedine, Hypersarcosis à carnis excrescentia, hernia intestinalis & omentalis à descensu intestini, & omenti, qui morbum etiam in situ parit.

Secunda est humor, aut quid affine humori, unde fiunt phlegmone à sanguine, œdema à pituita, erysipelas à bile, scirrhus à melancholia, cuius quædam species est tophus, & struma, cancer ab atrabile, carbun-

carbunculus à sanguine adusto, & ab aquositate humoribus affini hydrocephalus, hydrops abdominis, & uteri.

Tertia est, quod præter naturam ex humoribus natum, unde inflatio à flatu.

Quarta est quid toto genere præter naturam ortum ex varia, & indicibili humorum corruptione, unde fit proprie *abscessus*, seu tuberculum cum *folliculo*, nempè meliceris à materia melli persimili, steatoma à materia pingui, sevo simili, & atheroma à materia quasi pulmentacea.

MARCOR.

A *Trophia particularis*, quali paralytica & convulsa membra detineri solent, requirit primò expurgantia corporis impuritatē per vias convenientes: tum alimenta probū sanguinē generantia; deniq; attrahentia sanguinem ad partem,

illiusque calorem excitantia, & roborantia.

Hæc omnia præstant frictiones mediocres, usque ad ruborem partis, & levem intumescentiam.

Item balnea aquæ dulcis, subcalidæ, cui herbæ parti appropriatæ incoquantur, administranda usque ad levem partis tumorem.

Aut fomenta, vel irrigationes ex hydræleo, lacte, aq. dulci, alterata fol. malu. althææ. & herbis parti *appropriatis.*

Tandem validissima erit picatio usq; ad ruborem & tumorem partis: Sunt autem hæc agenda peracta concoctione, ante novam cibi sumptionem.

In Oculi tabe nullus est locus picationibus, & frictionibus, sed fomentis tantum, quæ parantur optima ex lacte cum momento Croci, vel ex eodem cocto cum malua, violis, althæa, & fæniculo, aut cum pomo dulci redacto ad formam molli-

mollioris cataplasmatis cum tantillo croci.

HECTICA.

Marasmus calidus sine tabe, qui sanabilis est pellitur præcipuè usu lactis, & balnei: bibitur lac humanum ex uberibus, vel asininum, vel caprillum recens mulctum cum tantillo sacchari, aut mellis sensim ascendendo ab ℥iij. ad vij. aut viij. quinque horis circiter à sumpto lacte administratur balneum aquæ dulcis, quæ subcalida tenetur usq; ad tempus egressionis, quo leviter refrigerari sinitur ad caloris unionem, & alimenti retentionem: vel statim à balneo molliter fricetur corpus vola manus imbuta oleo violaceo, & amygd. dulc. subfrigido. Si adsit Tabes dimittendum balneum, & tantum fricandum corp⁹ ante cibi sumptionem, modò jam dicto, lactique indulgendum, nec non respicientibus pulmonum

ulcus; Si lactis usus prohibeatur à causis enumeratis 5. aph. 65. substituenda ptisana hordeacea.

Sunt qui secreti loco habeant hanc ptisanam extemporaneam, quotidie bis sumptam.

℞ *Farinæ horde. partes* iiij.
Sacchari fini partem. i.

Eiat S.S.S. in olla fictili vitreata, ut primum, & ultimum strarum sit sacchari; facto deinde ex pasta operculo, indatur furno post panis extractionem, & coquatur ad sufficientiam, *id* tertia ferè vice seu immissione in furnum accidit.

Pro ptisana.

℞ *Huius farinæ coctæ.* ℥ij.
Iuris testudinum memoralium, vel limacum ℥iiij. Misc.

Ad ulcus verò pulmonum peculiariter commendatur pulvis millefol. ad ℈i. quotidie sumptus ex iure, aut convenienti decocto.

Item placenta ex farfara sicca, butyro, & lardo quotidie sumpta.

Alii

Alii sacchar. Ros.cum bol. armeno, aut simili terra medicata, lapideve hæmatite continuis aliquot mensibus usurpatum, reliquis omnibus præferunt.

OBESITAS.

Obesitas extenuabitur post decentem vacuationem totius corporis.

Primò quidem victu tenui, multisq; validis, ac frequentib. frictionibus, deinde verò quotidiano usu quorundam attenuantiũ, & siccantium medicamentorum, inter quæ magis laudantur; fraxini seminis ʒj. ex iure cũ ʒß. aceti generosi, vel aceti scilliticicochlear ex iure multo ante cibum; oxymelitico, ac scilliticis trochiscis eadẽ vis tribuitur.

Valet quoq; sem. Ameos, aut sem. existentis in baccis sambuci ʒß pota cum decoctione fraxini.

Sed pulveri viperino, de quo inter alexipharmaca dictũ est præcipua vis ineſt in exiccando corpore,

ſi ʒß.

ſi ʒß. ſumatur quotidie ex iure, aut vino, 4. horis ante cibum, eoque magis, ſi corpus ſtrenue exerceatur poſt pulveris ſumptionem.

Huc pertinent omnia ſudores, & urinam provocantia.

HYPERSARCOSIS.

Carneam exteſcentiam tollunt remedia conſtipationis à callo, aut carne, iam propoſita.

HERNIA INTESTINALIS.

Hernia omentalis ſola ſectione periculi plena, ſanari, arcto cingulo ægrè cohiberi poteſt. *Inteſtinalis* facile agglutinatur in pueris, & infantibus, externo uſu aſtringentium cum accomodata deligatione. In aliis ætatibus, ſi antiqua ſit, exiſtimata eſt hactenus ſolis medicamentis, ſine chirurgia, inſanabilis: Uſus tamen optimus rerum Magiſter, & medicamentorum iudex non ita pridem edocuit adultorum hernias, & magnas quidem, atque inve-

inveteratas solis medicamentis, & congrua victus ratione coalescere, sexagesimo ad summum die in virili, & senili robusta ætate: quadragesimo verò in iuventute, & adolescentia, quorum remediorum opera pueri intra vigesimum diem restituuntur, nisi pro lasus intestinorum in scrotum sit ingens, & quodammodo habituatus.

Hæc autem medicamenta inter paratu facilia reponi possunt, cum ex paucis, neque exoticis componantur, unico excepto.

Primum est huiusmodi, sumatur ʒ j. pulveris caulis herbæ bilinguis ex semicyatho vini rubri cum fol. eiusdem herbæ decocti, quotidie mane quinq; horis ante prandium: Locus v. affectus illinatur quotidie oleo omphacino, in quo bullierit totus erynaceus terrestris senior, non detracta pelle, usque ad carnis contabescentiam.

Secundum, Sumatur per sexaginta dies

ta dies cyathus vini rubri potentis, alterati ℥j. equiseti (accipienda tota herba cum radicibus, & quam tenerrima, si fieri potest) ruditer primò contusi, eoq; tempore gestetur continue ad locum affectum spongia, eodem vino imbuta, & expressa.

Tertium, Sumatur ℥j. pulveris ex æqua portione herniariæ, rutæ capriariæ, & asparagor. equiseti, ex semicyatho vini rubri generosi, iam dicti *temporis spacio, & quotidie locus bis illinatur ol.* communi, vel hypernici, in quo vivæ lacertæ diuturna insolatione contabuerint.

Quartum, gestetur ceratum ex æqua portione bdellii, & aloes tritæ cum albumine ovi, eoque tempore quotidie sumatur ℥j. infrascripti pulveris ex semicyatho vini rubri generosi quinque horis ante prandium.

℞. *Rad. consolid. mai.*
Caryophyllat. vulg.

Rad.

Rad. Gratiolæ.
Bilinguis.
Equiseti.
Coriandr. præparat.
Sacch. ros.
Chalyb. præparati cum aq.
Ros. an. ℥iß.

Misc. F. pulvis tenuissimus.

Præparatio charybis ea est, ut limatura charybis, vel ferri restinguatur aqua rosar. tum exiecetur in umbra, iterum igniatur, & extinguatur eadem aqua, donec subtiliter teri valeat.

Cæterum in istorum medicamentorum usu id universim observandum est, ut subligaculum continue gestetur, vitetur quæcumque spiritus contentio, corporisq; exercitatio, & cibi, potusq; flatulenti indulgentia.

TVMOR AB HVMORE.

TVmorũ, qui fiunt ab humoribꝰ remedia ex dictis patẽt, cum dirigantur ad causæ ablationẽ, quę ab initio

initio repelli debet, in augmento partim repelli, partim digeri, in statu digeri, aut si id fieri, non possit, suppurari; tumor vero admodum durus, primò accuratè molliri, tum digeri, & resolvi: aliqua ergo hic tantum subiungentur, tanquam quibusdam tumoribus compertissima, paratuq; facillima remedia.

Ad erysipelas cuiuscunque partis. ℞ farin. siliginis q.v. inde sacculo raræ texturæ, & parti admove quocunque *fluxionis tempore.*

Ad perniones non ulceratos unguentum præstantissimum.

℞ Fol. *Tabac. virid.*
Cortic. media. sambuci an. M. i.
Rad. asphodel. maris incisæ. ℥j.
Ol. Communis. ℔. j.

Coq. lento igne ad consumptionem totius humiditatis, facta forti expressione, adde.

Thuris subtiliss. pulveris. ℥ß.
Ceræ flavæ. ℥vj.

F. linimentum, quo illinatur pars,

pars, deinde calentibus digitis fortiter perfricetur usq; ad insignem eius ruborem, & incalescentiam.

Valet quoq; ad cutis fæditates, & vitiligines.

Ad tumorem pedum ex lassitudine, diuturno morbo, & contusione.

℞. *Totius farinæ triticeæ* (h. est non repurgatæ.) ℔.ß.
Pulver. Absynth. ℥ß.
Rosar. ℥j.
Vini rubr. austl.

F. Cataplasma ad lentum ignem addendo in fine.

Ol. rosat. compl. ℥iß.

M. admoveatur bis quotidie.

Ad strumas non ulceratas singulare remedium post debitam totius corporis purgationem exhibeatur quotidie per quadraginta dies continuos ʒj. pulu. rad. gladioli vulgaris, qui inter segetes est frequentissimus, sumaturque ex iure alterato radice scrophulariæ, quatuor horis ante cibum.

Patri

Parti vero applicetur Emplastrũ ex contusa cera nova nondum purgata ab apibus, & melle, quod si fieri non possit, substituatur hoc cerarum.

℞ *Pulu. lacert. infurno exiccat.* ʒiß.
Succi Tabaci.
Ceræ flavæ.
Picis Burgundicæ. an. ʒß.

Misc. F. Ceratum; loco picis Burgundicæ, quæ rara est in Italia, sumatur Colophonia.

Ad cancrum non ulceratum qui ad insignem magnitudinem non pervenerit, nihil præstantius est usudiuturno emplastri Aquapendentis post exquisitam totius evacuationem.

Habet autem farin. milii. ℔.j.
Ol. ros. (ducti in mortario plumbeo cum pistillo plumbeo, donec plumbi colore contrabat) ʒv.
Sape ʒjv.

Rediganturin Emplastrum cum s. q. decoctionis solani hortens. son-

sonchi, & virg. aureæ, æquis portionibus factæ in aq. purissima.

Pro aquosis, & statuosis tumorib. valent remedia proposita inter dicutiētia.

Abscessus cum folliculo solis medicamentis non curantur, sed extrahendus est totus folliculus, vel si id fieri non possit, post tumoris apertionem est absumendus partim septitis puttefacientibus, partim causticis exedentibus, de quibus iam dictum est.

REMEDIA MORBORVM In numero.

CVm morb. in numero deficiente constitnatur, penes defectum rei pertinentis ad integritatem viventis, morbus in numero aucto proprie spectari debebit, penes additionē alicuius rei naturalis, & numero tantū redundantis; usu tamen, & abusione quadam vocum referuntur quoque ad morbum in numero, calculi, vermes, & suffusio.

Remedia vermium, & calculi haben-

habentur inter ea, quæ respiciunt causam à tota substantia.

SUFFUSIO.

AD *suffusionem* hæc inter facilè parabilia maximè conveniunt oculo tepide admota, potissimum vero ope cucurbitæ ocularis, ut remedium diutius atq; validius agat.

R. *Chelidon.*
Fœnicul.
Verbenæ.
Rutæ. an. M. i.
Mellis ros. ℔. ß.
Sem. Rapi contus. ℥ij.

Herbæ contundantur, omniaq; mixta exponantur soli, & quotidiè agitentur, post quadraginta dies exprimatur succus in æneo vase servandus ad usum; oculoq; instillandus per se, vel miscendus collyriis mitioribus.

Aliud. R. *Sacchari fini pulverisati*, & in patina vitrea supercineres ad rubedinem usq; decocti, item *vitrioli à fecibus purgati*, solique exposita donec

donec album colorem contrahat. an. partes æquales. Hoc pulvere impleatur acetabulum ovi adduritiem cocti, partibus ambabus ovi deinde arctissimè ligatis, macerentur quatuor dies in aq. Eufrasiæ, vel in vino albo subdulci, in quo prius bullierit Eufrasia, vel fœnicul. aut sileris montani semen, expressio servetur ad usum in vase vitreo.

Aliud. R. *Vini albi dulcis optimè purgat. & clarificat.* ℔.j.
Sem fœnicul. ʒiij.
Cariophil. Indicor. ʒiß.

Macerentur per horas 24. F. Colatura, adde.

Aq. Vitæ. ʒij.
Antimonu semel fusi cum æquali portione salis petræ. ʒij.

Macerentur per duos dies, dein. serventur ad usum in vase vitreo.

Aliud. Succus cæparum per se instillatus, aut modico vini albi dulcis dilutus, est præstantissimum collyrium, & quod mirè oculi inflam-

flammationem, si quæ adsit, è vestigio tollit.

Est quoque singulare collyrium inter opthalmica descriptum, quod exigente necessitate efficacius reddi potest admixtione alicuius fellis, vel secundi collyrii propositi, aut succi cæpæ albæ cum lacte leviter decoctæ.

Ad proprie morbus in numero aucto, qui abundantiam materiæ roburq; formatricis facultatis sequitur, *ustione, & sectione melius* curatur, quàm medicamentis absumentibus.

Morbus in numero deficiente, si sit connatutalis, est omnino insanabilis, cum fiat defectu materiæ, & fortricis imbecillitate; adventitius etiam, si in parte spermatica consistat est incurabilis, in parte carnosa interdum sanationem admittit; eademq; exigit remedia, quæ ulcus cavum, aut vulnus compositum, cum partem deficere contingat, ob illo-

illorum causas, puta, sectionem, ustionem, erosionem, putrefactionem.

REMEDIA MORBORVM IN situ, & connexione.

MOrbus in situ, & connexione, vel est connaturalis, & fit distractione materiæ tempore formationis; vel adventitius, à triplici nimirum causarum genere fieri solitus, laxatione, seu dearticulatione continentium; solita continuitate, & violenta tensione ob nimiam repletionem, vel exiccationem.

Vitium formatricis non admittit curationem.

Aliæ tres causæ eadem postulant remedia, quæ morbus in figura; qui morbum in situ necessariò comitatur.

REMEDIA MORBORVM IN soluta unitate.

SOlutæ unitatis duo statui possunt summa genera ulcus & vulnus.

Illud

Illud fit à causa erodente, atque adeò necessariò coniunctam habet deperditionem substantiæ.

Vulnus verò est quæcunq; alia soluta unitas sine causa erodente, sive simplex sit unitatis solutio, sive cum deperditione substantiæ, ut in vulnere compositio.

Ac licet pro partium diversitate subinde mutentur hæc nomina (siquidem ulcus in osse dicitur caries, vulnus in ossibus dicitur fractura, *in nervis ruptis spasma, in punctis* punctura, *in carne contusa* thalasma) naturam tamen retinent, modoq; generationis non differunt: nam quodcunq; ulcus fit à materia acri, & erodente; uti sunt humores, & ichores acres, venera acria, medicamēta septima, & caustica, ignis actualis, pus, humiditas in quam putrefacta substantia solvitur, ut in gangræna, reliquæ omnes causæ continuum solventes, secando, frangendo, tendendo, contundendo

do faciunt vulnus lato modo sumptum.

SIMPLEX VVLNVS.

Simplex vulnus, seu solutio continui sine deperditione substantię curatur agglutinantibus quæ siccando, astringendo, adhærendo, labia vulneris in se mutuo cogunt, uniuntq; quæ unio in ossibus immediate fieri non potest ob eorumdem duritiem, sed fit mediante callo, cuius materiam alimenta glutinosa præbent.

Fracturas vero affigunt, & firmant eadem glutinantia medicamenta, quorum duplex statui debetordo: mediocrium & valentium; illa conveniunt parti, & habitui humidiori: ista parti, & habitui ficciori, ac vulneri cruento.

Mediocria glutinantia magis obvia sunt: albumen ovi, ascyrum, achyllea, androsemum, bursa pastoris, balsaminæ repentis fructus, caseus recens, & ei⁹ gluten, cauda equina,

cera, caryophyllata, cystus, flos solis. gramen-ischæmon, gummi prunorum, hedera terrestris, herba Siciliana, herba trinitatis, hypericum lingua serpentina, millefolium, mespili folia, ophris, plantago, pyrus sylvestris, rosæ damascenæ, rubus, sanicula mas, serratula, scabiosa, veronica, virga aurea, ulmi folia.

Ex his parari possunt vulnerariæ potiones, possunt & quacumque alia forma internè dari.

Extrinsec° verò admoventur, vel contusa, vel pulveris modo aspersa; vel expressa, & instillata, vel decocta maximè ex vino rubro austero, eorûq; opera adiuvatur deligatione quæ labia vulneris unita detinet.

Sunt quædam alia quib. recentia vulnera simplicia citissimè glutinantur, per se applicata, & deligata, nempe lachryma abietina, parietaria contusa, tabaci folia contusa, pix arida, persicaria maculata contusa, oleum insolatione factum ex

fol is

foliis linguæ serpentinæ, aut fructibus balsaminæ.

Omnium verò præstantissimum & instar balsami occidentalis (quo in glutinandis vulneribus nihil præstantius) est oleum, quod & floribus recentibus hyperici, phialæ inclusis ad solis radios, per descensum elicitur. Valent quoq; vermes terreni vino nigro eloti, ac triti, potest quoq; inter facile parabilia oleum hispanum reponi descriptum in Chirurgico pentateucho aq. pendentis, quo 24. horarum spacio vulnera consolidari perhibentur.

Valenter conglutinant Alchimilla, Amaranthi purpurei flos, bugula, consolida maior, galla, immatura, Geranium quodcumq; (sed maximè pes columbinus) hypocistis, lagopus, malicorium, oleæ, præsertim sylvestris folia, pilosella, polygonum, pruni sylvestris succus, quercus folia teneriora, symphi-

tum petræum Lobelii, virga sanguinaria.

Quorum omnium administrandi ratio est eadem cum superiori.

Extrinsecus addantur pilileporis combusti, stercus asinin. spongia usta in pulverem trita, & matrisylva quomodocumq; usurpata.

CONTVSIO.

Quod si absq; sensibili solutione contusa dumtaxat sit pars, conveniunt roborantia mixta digerentibus, & anodynis: *huiusmodi* sunt lardum cum absynthio contusum; absynthium in tegula calefactum, & vino aspersum; farina fabarum cum sapa in formam Cataplasmatis redacta, tota tritici farina cum vino nigro, pulvere rosarum, aut absynthii, & oleo ros. cataplasmatis forma, persicaria contusa, & vino calente aspersa, Fotus aquæ calidæ, præsertim matinæ alteratæ absynthio.

Cæterum hoc linimentum omnibus

nibus aliis præferendum ad sanandas contusiones, quod mirificè quoque lenit tumentium hæmorrhoidum dolorem, & dentium dolorem tollit gingivis molliter affrictum.

℞ *Ol. commun.* ℔.j.
Medul. cruris bubul. Ceræ flavæ.
Resin. abietine aut piceæ (vulgo rasa) *an.* ℥ij.
Butyr. recent. ℥iij.

Liquefiant omnia lento igne, cumque medullam liquata fuerit, removeto.

VLCVS.

ULcus, vel est superficiale, vel profundus.

Illud, vel est actu tale, cui deest summa cutis, uti intertrigo puerorum, vel est potentia tale, quod ex vi causæ externæ citò evadit tale, nisi prohibeatur, uti est ambustio, cui si citò succurratur, nullum subsequitur ulcus.

Superficiale ulcus curatur mitioribus

bus inducentibus cicatricem, iisdem curantur ambusta distruptis iam vesicis.

AMBVSTA.

ILlæsam autem partem servabis sequentibus mature applicitis; sunt autem atramentum scriptorium, vernix liquida molissimo linteo excepta, totum ovum cum ol. ros. aut per se agitatum, oleum ex mediano sambuci cortice per decoctionem paratum, albumen ovi optime subactum cum aceto, addita partiúcula aluminis rupei crudi.

Præstantissima sunt duo sequentia unguenta, quorum primo illitæ partes ignem absque noxa tractare poterunt.

℞ *Succi ex tota althæa cum radicibus express* ℥vj.
Ol. Sambucini ℥iiij.
Alum. rupei crudi ℥i.

Coq. lento igne ad mediocrem consistentiam, tum adde:

Cer. ℥ß. Misc.

Secun-

Secundum:

℞ *Olei communis.* ℥iij.
Ceræ novæ. ℥ß.
Vitel. ovor. subciner. cocti. N. ij.

Dissolvantur, & misceantur, donec habeant in unguenti formam, extendatur super linteum, & bis in die renovetur.

Extollitur quin etiam unguentum ex lethyocollæ, & alum: plumei paribus portionibus aceto subactis.

Item succus altheæ agitatus cum ovi albumine.

Profundius ulcus est primo implendum carne sarcoticis appellatis, quæ partis excrementum crassum detergunt, tenueq; absumunt, tum cicatrice obducendum epuloticis, quæ insigni exsiccatione non modo excrementa, sed etiam sanguinem absumunt, summamq; ulceris superficiem obdurant, & veluti in cutem convertunt.

IMPLENTIA VLCVS Cavum.

Sarcotica, seu implentia ulcus tam latè patent, quam variæ sunt cavi ulceris differentiæ.

Nam ulcus valdè humidum requirit valide deficcantia, adeo ut obducentia cicatricem ulceri plano necessaria sint ad implendum ulcus cavum præhumidum: quod verò est valde sordidum, requirit valenter detergentia.

Hoc autem unice observandum, ne sarcoticis valde siccantibus, & detergentibus misceantur adstringentia, quia excrementum ulceri impingunt, redduntq; profundius, & serpentius ulcus.

Itaq; sarcoticorum duplex statui potest ordo; mediocrium, quæ conveniunt parci molli ulcerique non admodum humido, ac sordido; & valentium quæ conveniunt parti siccioris, ulcerique sordido, ac præhumido.

Cæte-

Cæterum nulla est spes implendi ulceris ope sarcoticorum, nisi auferantur prius impedimenta regenerationis deperditæ substantiæ impedimenta regenerandæ carnis: videlicet fluxio cuiuscumq; materiæ, vel copia, vel prava qualitate peccantis, intemperies partis ulceratæ, callus innascens ulceri, caro flaccida excrescens, ossisq; subiecti caries, intemperies, corrumptio.

FLVXIO.

Fluxionem tollunt vacuantia, revellentia, repellentia, intercipientia, contemperantia, roborantiaque male affectas partes, quarum vitio excrementa regenerantur, de qnibus iam dictum est in remediis caussarum, & morborum similiarium.

INTEMPERIES Vlceratæ partis.

Intemperies ulceratæ partis corrigitur alterantibus contrariis, de quib' etiam dictum est: in gangræna certe

tanta est humiditas partis, & innati calidi dissolutio, ut igne actuali, vel potentiali sit opus, quorum ille citius operatur, partemque magis corroborat.

GANGRÆNA.

INcipienti gangræna, aut ubi eius est periculum, ut in magnis ictibus sclopetorum, nihil præstantius sequenti balsamo, si carpta filamenta eo imbuta ulceri applicentur, quo etiam sordida omnia ulcera, si malignitas absit, feliciter persanantur.

℞ *Flor. sulphur.* ℥iij.
Ol. ros. comp. et ℔. ß.
Vini rubr. optimi. ℥iiij.

Macerentur per octiduum leni igne, atq; aliquoties agitentur, tum coquantur lento igne, & semper movendo ad vini consumptionem: In colatura dissolve.

Terebinth. clarissimæ ℥iiß.
Misce, & serva ad usum.

HER-

HERPES.

IN *ulceribus quoq; à bile tenui, uti herpete miliari, aut non valde exedente, & ulcerato erisypelate*, maximum facessere solet negotium partis humiditas cum acrimonia coniuncta, cui egregie prodest sequens unguentum sambucinum, quo non modo similia ulcera, sed ambusta omnis generis, & omnes penè cutaneæ fæditates persanantur.

℞. *Salis communis.* ℥iij.

Dissolvatur pari quantitate, vini rubri opt. deinde adde:

Cort. med. Sambuci ℔.ß.

Macerentur per duas horas, tum adde

Ol ros. completi ℔.iß.

Bulliant lento igne ad humiditatis ferè consumptionem, fiat colatura sine expressione, tum residuo cortici adde ulterius

Ol ros. compl. ℔.ß.

Salis vino soluti, ut sup. ℥ß.

Coquantur strenue ad totius humi-

humiditatis evaporationem, ut cortex fiat friabilis, cum hoc oleo diligenter expresso coque.

Lithargyr. auri preparati, & cribrati. ℥ij.

Quibus ex arte coctis adde prædictum oleum, move, donec incalescant, postremo impone sensim sequentia simul per setaceum transmissa: videl.

Cerussæ optimæ ℥ij.

Plumbi cum sulphure usti non loti ℥vii. ß.

Ceræ flavæ. q. s. ad unguenti consistentiam.

CALLVS.

CAllus tutissime tollitur forcipe, aut igne actuali, ubi id fieri potest, sin minus tollitur erodentibus descriptis inter remedia constipationis cavitatis. Huius impedimenti occasione sæpe remanent profundæ fistulæ incurabiles, quæ secari non possunt, & necessariis remediis opportune undique contrectari:

trectari: FISTVLA his confert sequens balsamus, quo profundę ani, testiumq; fistulæ sanari visæ sunt.

Paratur autem hoc facile pacto.

R. *Rad. Geranii columbini inciſ.* ℥ij.
Rad. iridis opt. notæ. ʒ iij.
Rad. ellebor. nig. præparat. ʒ ij.
Granor. Tritic. M.i.

Contundantur ruditer, & infundantur per diem in vini rubri austeri ℔.i. deinde adde.

Ol. Hyperic.
Myrtini an. ℥iij.

Bulliant lento igne ad consumptionem humiditatis, facta expressione, & colatura, adde

Bituminis.
Myrrhæ an. ʒ ß.

Stent ad lentum calorem, donec perfecte liquentur, deniq; adde

Lacrymæ abietinæ.
(& si fieri potest) *Balsami occidentalis. an.* ℥i.

Misce ad lentum calorem, & F. balsamus fistulæ instillandus, & turundis illinendus.

CA-

CARO LVXVRIANS, & Vitiosa.

CArnem flaccidam in ulcere luxuriantem tollunt remedia descripta contra morbum in constipatione à carne, & callo.

His tamen addatur sequens pulvis Escharoticus, quo maligna ulcera (uti scrofulæ malignæ, & cancri ulcerati) si parva sint, & recentia, feliciter persanantur.

R. R. *ad. Serpentariæ maior.* in Iunio coll. *sect.* aq. *in taleolas, & in umbra siccatæ.*

Arsenic. chrystall. an. ℥j.

Pulverisentur, misceantur, & usq; ad Octobr. initium radiis solaribus exponantur in ampulla vitrea bene clausa, & frequenter agitentur, tum servetur pulvis ad usum: qui talis erit: abluatur aliquoties ulcus, madidoq; linteolo foveatur aq. nenupharina, aut eius decocto: postridie, inspergatur pulvis munitis partibus sanis aliquo cerato, ne

to, ne ultra quam par est, serpat pulvis; sponte excidet eschara intra duos dies, & curatio perficietur sarcoticis valentioribus.

OSSIS SVBIECTI VITIA.

OS ulceri subiectũ, ac detectũ, est corroborandũ insperſione pulverũ, ut caro superinduci possit.

Parantur autem ex æquis portionibus rad. peucedani, aristolochię rot. Iridis, myrrhæ, thuris.

Quod si iam nigredinem contraxerit, ferro deradente, atq; igne actuali opus est, tum inspergendus pulvis.

Si cariem contraxerit tollenda est quoque ferro, & igne.

Cæterum aliquando accidit *ob ulceris angustiam*, & flexuositatem tangi nullatenus posse subiectũ os ferro, aut igne, ac stylo ægrè percipi, quo casu infundendum est aliquid acre, & exiccans per aliquot dies, ut caries firmetur. Huiusmodi est inter paratu facilia decoctũ aristol. gentian. & Ari, traiectum per tartarum

tarum calcinatum sacculo inclusum.

Laboriosior est spiritus tartari, qui adhoc opus inprimis commendatur, si convenienti liquore contemperetur. Ablatis impedimentis proficuus postmodum erit usus sarcoticorum, seu implentium ulcus, quorum sequitur enumeratio.

SARCOTICA Mediocria.

VLceri non admodum humido, sordidove partiq; molliori conveniunt, sarcotica mediocria, nempe aq. thermales salsæ, & nitrosæ, betonica, gentianæ radix, hædysarum, iris, matrisylua, mel coctum, personata, resina omnis, scordium, triticum, thus.

Ex herbis fieri possunt decoctiones pro ablutione, & infusione. Fient etiam extemporanea unguēta, facto prius oleo per decoctionē, tùm addita portione ceræ, & si placet, aliqua etiam mellis, & resinæ,

aut

aut pulverum, qui maximè parantur ex radicibus, & thure.

Potest quoq; simplex pulvis etiam ex herbis parat⁹, ulceri inspergi

Externis addatur tabacum, & centaurum minus.

Forma extemporanei unguenti poterit esse huiusmodi,

℞ *Fol. Beton.* M. j.
Fol. Tabaci. M ß.
Ol. commun. ℥iiij.

Concidantur herbæ, & coquantur in oleo ad totius humiditatis consumptionem, deinde adde

Resinæ vulgar. ℥i.
Ceræ novæ. ℥ß.
Pulu. rad. Iridis, vel Thuris ℥ ij.

Misc. F. Vnguentum.

IMPLENTIA VLCVS Sordidum.

VAlentior a sunt, *ulcerique sordido, ac parti duriori conveniunt* aristol. rot. radix, Bonus Henricus, Colus Iovis, Marrubium, Mel crudum, Myrrha, Peucedani radix.

Et

Et in extrinsecis Aes ustum Hispanicũ (vulgo Feretto di Spagna) mixtum aq. plantag. fuligo camini, fuligo picis, calx optimè lota, & eius aq. pix arida, pix liquida mixta melli, testæ buccinar. & quæcumq; marinæ crematæ, omniumque sarcoticarum herbarum cineres.

Horum potest varia esse forma, puta linimenti, unguenti, pulveris, succi, aut decocti.

Folia quoq; boni Henrici, & *colus Iovis leviter tusa, & adversa* parte administrata per se curant ulcera diseplotica.

Huc pertinet balsamus sulphuris descriptus, qui cava ul. era mirifice implet; ex eo conficit Rulandus, unguentum ad omnia ulcera rebellia valde celebratũ; habet autẽ

Balsam. sulph. r. ℥iij.
Ceræ novæ. ℥ß.
Colophon. ℥iij.
Mirrhæ ad pondus omnium.

Mirrha subtilissimè trita inspergatur

gatur paulatim reliquis, simul liquefactis, probeq; commixtis, atq; igne lento coquantur, spatula semper agitando, donec optimè fuerint permixta, quod fere contingit post quartã horæ partẽ tum removeantur ab igne, & paulatim frigescant.

Huic tamen medicamento neq; ulli alii cedit Emplastrũ Theophr. paratu facillimũ, quo ulcera inveterata, putrida, fœtida, cavernosa, sordida egregie curantur, potestq; omnibus cavis ulceribus aptari, si pro ulceribus acri fluxione tentatis, valdeq; sentientib. temperetur unguento Sambucino supra descripto pro herpete, addendo maiorẽ, aut minorem quantitatem, prout sensus partis acutior fuerit, & maior, aut minor aderit necessitas regenerandi carnem.

Est autem Emplastrum huiusmodi.

R. *Vitel. ovor.* N. x.
Terebinth. clara, ℔. 3.

Misce-

Miſceantur ſpatula lignea unguentum, in ipſo vaſe ubi debent coqui, & hoc perficiatur ſpatio ſemiquadrantis horæ; tùm adde mel. ad pondus omnium, moveantur ſtrenuè, & ſubitò, ne grumos edant tum coq; lento igne carbonũ, continuè movendo, poſt modum ignẽ aut augendo, donec contraxerint fuſcum colorem, & ad nigrũ potiꝰ quam flavũ, aut tuffum vergentem.

CLAVDENTIA VLCVS.

Repletum ulcus, atq; ad æquabilem cum parte ſana ſuperficiem redactũ clauditur opuleticis, ſeu cicatricem inducentibus, quorum alia ſunt mitiora, convenientia parti molliori, alia valentiora, convenientia parti & habitui duriori, quibus ſi in carne molli utaris, cicatricem quidem obduces, ſed duram, colloſam, & quę articuli motum impedire poſſit.

Mitiora magis obvia ſunt, argilla, ſeu creta alba, cauda equina, flos utriuſq; mali punici. ceruſſa, gloſſypium

pium ustum, linteorum cinis, numularia, os sepiæ, spongia usta, pili leporis usti, tormentillæ radix, terræ quęcumq; medicatæ, lythargir°, omniaq; frigida mediocriter astringentia; immo frigidi aeris contact° per se cicatricē obducit; aridâ formâ efficacius agunt quam humidâ, itaq; insperſi pulveres superpositis filamentis captis conferent.

Ad vitandam tamen *cicatricis inæqualitatē*, atq; duritiem in parte cō-spicua satius est uti linimentis, vel unguentis.

Præstantissimū est sambucinum iam propositum contra herpetem.

Alia extemporanea parari poterunt ex cerussa, vel lytharghyro cū quadruplo olei ros. aut similis, & momento ceræ, immiscendo pulveres magis siccantes, si necessitas postulet.

Valentiora sunt omni frigida strenuè astringentia alias proposita, quibus addantur, aqua thermalis, alumi-

aluminosa,& gypsea,qualis est Patavina,mōtis ægrotorū, Antimonii calx optime lota,calx vulgaris probe lota,creta vitrioli,aq.calcis vivę, gypsum,ferri limatura toties aspersa aq.ros.plantag.aut simili liquore, & siccata,donec in pulverē teri possit;squāma,& scoria ferri lota,plumbum per se ustū,& lorū,testæ quorūcunq; animaliū ustæ,& lotæ,quę omnia(excepto ferro, & aliàs propositis astringentib.)externe adhibentur *vel pulveris forma, vel mixta mitiorib.unguentis,*thermæ balneis,& insessionibus inserviunt.

Atq; hæc fere sunt medicamenta facile parabilia,quib.ubicumq;terrarū, & absq; pharmacopæi opera quodlibet ægritudinū genus persanari potest.

Modus omnia, ubi opus sit, expedite, & absq; instrum. apparatu permiscendi non obscure colligi potest ex variis extemporaneorum compositorū exemplis,quæ per totam tractationem sunt sparsa.